

B. M. F. 121.

N. 29, n.

(11577905)

II R  
5224

Q. D. B. V.

LEGATUS INVIO-  
LABILIS,

Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
in Almâ Lipsiensi consensu at-  
que autoritate

*sub*

Disputationem Politicam  
vocatus,

*d. 23. Octobr. A. C. 1667.*

P R Æ S I D E

M. JACOBO THOMASIO,  
Eloquentiæ Profess. Publ. Facult. Phi-  
losoph. Assess. nec non Min. P P. Collegii  
Collegiato,

R E S P O N D E N T E

JOHANNÉ ADAMO PREUNEL.  
Berol. March.

---

*Editio altera, recusa*

L I P S I Æ

Typis & Sumptibus JOH. ERIC. HAHN.

*de Legato inviolabili Vol. IV. 2.*





LEGATVS IN

LABIS

Inclut Facultatis Philosophice  
in Alia Epistola continetur

per amicitiam

Dilectionem Politicam

vocatur

et dicitur ad id

per se



RESERVIERT

JOHANNES ADAMUS PROHIBIT

Berol. March.

editio altera, scripta

1712

Thomas Sandius Joh. Eric. Hahn.



vel  
tera

quo  
nyn  
mo  
infe  
(c)  
din  
Pa  
dus  
ni  
tul  
pse

p.







# Jesus Adjutor Proximus.

§. 1.

**T** familiis inter se privatis, ita diversis Rebusp. intercedere solent mutua commercia, & officiorum communicationes.

§. 2. His alendis necessarium est, ut altera alteri voluntatem significet suam.

§. 3. Id fieri tribus potest modis, si nempe capita Rerump. colloquantur vel ut propriâ, in loquimur, personâ, vel per nuncios, vel per literas.

§. 4. E Nunciis Rerump. illi præcipuâ dignitate pollent, quos appellare solemus *Legatos*, aut abstracti vocabulo per metonymiam *Legationes* (a). De quibus habentur non Disputationes modò aliquot pagellarum, quas Juri Publico suo Arumæus tres inseruit, unam *Matthiæ Bortii* (b), alteram *Johannis Gryphiandri* (c), tertiam *Reinhardi Königs* (d), sed etiam in justis libri magnitudinem surgentes tractatus *Conradi Bruni*, *Alberici Gentilis*, *Caroli Paschalii*, *Frederici de Marselaer*, & aliorum, quos nominat *Besoldus* libell. IX. Operis politici c. 1. de Legatis, qui & illi dissertationi p. 80. annectit excerptum è lib. X. rerum judicatorum *Ærodii* titulum 15. de Legationibus: ut illos taceamus, qui Systemata scripserunt Politica, aut de Republicâ dederunt commentarios.

§. 5. Nobis propositum hîc est, omissis quæ de Legato dici *Propositio*

A 2

possunt

a) infra §. 32.      b) Vol. I. p. 113.      c) ib. p. 266.      d) Vol. II. p. 629. quæ aliàs inter Politicas ipsius Reinhardi est XV.



possunt aliis, solam ejus, quam & titulus profitetur, *inviolabilitatem* inspicere seu securitatem. De quâ præter modò memoratos, & subinde citandos postea, juvabit & *Hugonem Grotium* legere lb. II. de Jure Belli c. 18. sed castigandum ex animadversionibus in eum Viri laude nostrâ majoris *Cass. Ziegleri*.

**LEGATUS:** §. 6. Ut hoc in argumento ritè versetur, ipsius *Legati* ante omnia tum exstruenda erit *definitio*, tum proferenda distinctiones eæ, quæ in rem præsentem necessariae videbuntur.

*Ejus homonymia.* §. 7. Ac potuit jam quidem ex ingressu sermonis intelligi, de *Legatis* loqui nos velle *diversarum inter se Rerump.* Quâ ratione non est, ut aliquis hâc animo complectatur eos Nuncios, qui *vel Dei cum hominibus, vel unius in eadem Rep.* (quos inde *internos* (e) licebit salutare,) partis cum alterâ, *vel summæ potestatis cum non summâ* (f), *vel privatorum inter ipsos,* (si ad hos etiam splendidum Legationis vocabulum inclinare libeat,) societatem connectunt.

§. 8. Tametsi enim his universis, si rectè versentur in officio, sua debetur securitas: tamen nec eadem omnibus debetur; & si super illâ incidant controversiæ, distinctissima sunt principia, è quibus harum decisio pendeat.

§. 9. Rectè ergò Legationem, quæ est à *Deo*, aut *ad Deum*, remve divinam, ab hoc loco removet *Reinh. König* §. 14. Rectè *Grotius* n. 2. *Sciendum est*, inquit, *qualecung; est hoc jus Gentium,* de quo videbimus, *ad eos Legatos pertinere, quos mittunt, qui summi Imperii sunt compotes inter se.* Nam qui extrâ hos *Legati* sunt, *Provinciales, Municipales, atq; alii, non jure gentium, quod inter gentes est diversas, sed jure civili reguntur.*

§. 10. E diverso non probatur nobis *Conradi Bruni* consilium,

e) ad differentiam *externorum*, h. e. eorum, qui ad externos, vel ab externis mittuntur. Qui externi habendi sint, è *Virgilio* explicat *Grotius* n. 2.

f) sive non summa illa sit ejusdem *Reip.* sive diversæ. Solemus autem, quos summa Potestas ad inferiorem suam mittit, vocare *Commissarios*, quos hæc ad illam, *Deputatos*. Legationes etiam, quæ sive à *Præfecto* conterminæ *Regionis* ad *Regem finitimum*, sive à *Rege* ad finitimum præfectum mittuntur, quia justæ Legationis numeros non implent, *parvæ* reputantur. Vide *Besoldum* c. 1. n. 5. p. 13.



lium nisi comparationis prætextu fortassis excusetur, lib. IV. c. 2. f. 157. ad eorum pœnas hîc evagantis, qui Episcopos & Sacerdotes, h. e. *Christi Legatos* violent.

§. 11. Abstinentus verò etiam nobis erit calamus ab illis Legatis, quos *Romanus Pontifex* pro eâ, quam sibi per maximum scelus in orbem Christianum rapere non desinit, autoritate quaquaversum ad suæ religionis socios Reges, tanquam se inferiores emittit, vel ab his missos ceu superior excipit. Nam & Ecclesiastica ejus Monarchia, ut quæ diversi planè generis est ab aliis usitatis in humano genere Principatibus (g) ignoratur à Philosophis; & Legati tales *internorum* speciem habent potius, quam externorum (h).

§. 12. Jam & *externæ* quoddam genus datur *Legationis* quod ad nos, quia nomen sine re habet, salvoq; gentium jure ab eo Principe, ad quem venit, potest recusari (i), nihil pertinebit. *Titularem* illam intelligo seu *honorariam* eorum, qui privati tantum negotii causâ in aliam Remp. discedentes favoris ergò cum titulo Legati, sed *absq; ullo Reip. ad alteram mandato* dimittuntur. Quomodo Phrynon Atheniensis (k) cum in reditu à certamine Olympico captus esset à quibusdam Philippi comitibus, & omni pecuniâ spoliatus, in patriam reversus ab Atheniensibus legationem ad Philippum, *liberæ* Romanorum Legationi (l) non ab similem, exoravisse dicitur eâ intentione, ut ea, quæ amiserat, recuperaret.

§. 13. Neque tamen in omnes, qui ab unâ Rep. ad alteram, etiam *cum mandato* proficiscuntur, augustum statim Legati nomen competit, nisi unâ cum mandato *personam* ipsam suæ Reip. afferant.

§. 14. Quamobrem excludimus eos, qui simplici tantum fungentes ministerio sine Legatorum peculiari titulo, adeoque sine

A 3

perfo-

g) Observante Magno Conringio p. 114. ad Machiavelli principem.

h) Pro *externo* tamen Urbani V. Legatum olim tractaverunt Mediolanenses, qui coegerunt eum literas Papæ sui (quàm comiter scriptas, facile est suspicari) devorare. ap. V Volf. Tom. I. memor. f. 648.

i) per ea, quæ tradit Alb. Gentil. II. 12. k) referente R. Z. autore anonymo Juris Feclialis Parte II. sect. 4. q. 10. p. 189.

l) De quâ præter autorem in modò citatum & alios, vide C. Brunum I. 14. Alb. Gent. I. 18. & II. 12. Besold. c. 2. n. 3.



personā Reip. mittentis mandatum publicum exeqvuntur. Tales hodiè sunt, quos *Agentes* vel *Agentarios* vocant (*m*), qui rebus pacatis; *Heraldi* item, *Tubicines* ac *Tympanotribæ* (*n*), qui turbato ferè ac bellico statu adhibentur.

Definitio.

§. 15. Ultrò nunc è dictis progerminat hæc Legati definitio, quòd sit *Nuncius à Rep. ad Remp. ita missus, ut simul mittentis Reip. personam adferat.*

§. 16. Subjectum definitionis *Legatus* est, quem genere masculino expressimus. Ad *fœminarum* enim Legationes (*o*) quoniam eæ non nisi extraordinariis in casibus usum habent, in hoc analogo definiendo respici non oportuit.

§. 17. In prædicato generis locum occupat *Nuncius*. Maluimus enim ipso statim genere, quàm ut alii (*p*), verbis ad differentiam spectantibus, amoliri legatum *titularem*, ut æquivocè dictum. Is absque mandato est mittentis per §. 12. quod nemo de Nuncio dixerit.

Per Genus,

§. 18. Magis æquivocè Legatus ille dicitur, qui titulum non à Rep. sed à se ipso accepit, h. e. qui officium Legationis, quod planè nullum gerit, ementitus est (*q*). Huic adeò nulla debetur ex Legati nomine securitas, ut ob hoc ipsum falsæ Legationis crimen, pro circumstantiis puniri possit potius (*r*).

§. 19. Putet aliquis fortè, cùm Legatum Nuncii vocabulo definivimus, genus illi datum à nobis esse quàm decebat angustius. Nam & *factitiam* dari (sic vocant,) Legationem eorum, qui nullam rem dicere, sed aliquam agere habent, in id videlicet missi tantum, ut

*m*) de quibus Besold. ibid. n. 6. 7. Keckerm. l. Syst. Pol. 24. p. 384. Micræl. Lex. Phil. p. 669.

*n*) de quibus iterum Besold. n. 9. 10. *o*) De his vide Bort. apud Arum. Vol. I. p. 114, Ærod. c. 21. Paschal. c. 20. p. 123. R. Z. Part. II. Jur. fec. sect. 4. q. 9. p. 187.

*p*) in quibus Besoldus p. 9. Qui licet genus Legatorum faciat *Mandatarios*, ut Legatos Proconsulum ac similes excludat p. 10. eos tamen, qui liberâ legatione funguntur, demùm p. 12. submovet verbis differentia, *quibus publico* in negotio mittuntur.

*q*) De mentitâ Legatione Alb. Gentil. II. 2. in quem aliquid notabimus §. 150. 5. *r*) Vide Paschal. c. 74. p. 436. 437, Exemplum de Scoto quodam refert Besoldus c. 5. n. 17. p. 57.



ut factum aliquod præstent, puta literas, munera, resve alias ferant, aut præsentiam suam actui certo commodent (s). Verùm talis Legatio aut omninò conjunctum habet voluntatis alienæ nuncium, ut in gratulando, aut partes tenet in vocis analogiâ *secundarias*, ut ejus rationem hîc habere nulla nos coëgerit ratio (t).

§. 20. Antequam ad differentiam progrediamur, juvat in *(ubi obiter usus Rhetorices aliquid observare. Generis nomen est Nuncius, nonyma.)* Species ejus inter alias multas hæc duæ: Legatus, qui unâ cum mandato personam etiam sustinet mittentis Reipublicæ; & alter qui vis, qui absqve personâ tali mandati solius interpretis est. Inter hos duos magnum à dignitate discrimen. Unde Keckermannus l. Syst. Polit. 24. p. 384. nuncii *solennioris & communis* appellationibus distingvendos putavit, nosqve ipsi confundi eos inter se §. 13. vetuimus: Et factum est tamen, ut in hâc tantâ inæqualitate vocabulum generis per synecdochen utriqve speciei accommodaretur, alteri opinor propter excellentiam, alteri propter defectum vocabuli specialis.

§. 21. Ac pro *Legato* quidem Nuncium Virgilius dixit (u). Quo pertinet, quòd Josephus, dum Legatorum sanctimoniam prædicat, commune illis ait esse cum *Angelis* nomen (x). Ἄγγελος enim nuncius est. Neqve aliter nos, cùm Legationem vocamus *eine Bothschafft / & Legatos Bothen*.

§. 22. Aliquid autem *Legato minus* apud Livium est Nuncius, cùm Legato opponitur (y). Quod Albericus Gentilis (z) ita explicat, ut *Legatus* (in oppositione ad Nuncium) *is sit, qui non modò publicè, sed publico etiam nomine, & publicâ indutus personâ missus est.*

§. 23.

s) Alb. Gentil. l. 5. Bortius ap. Arum. Vol. I. p. 127. §. 19.

t) conf. supra §. 16.

u) cùm Turnum ita facit loquentem XII. Æn. v. 75. *Nuncius hac Idmon Phrygio mea dicta Tyranno (Æneæ) Haud placitura refer.* Sic Virgilium interpretatur Alb. Gent. l. 2, qui Ciceronem quoqve & Livium huc advocat.

x) apud Grot. annot. ad §. 1. p. 227.

y) in his lib. XXIX.

z) c. 34. *Asdrubalem subinde ac Syphacem per literas nunciosqve, postremò & per legatos accersunt* (Carthaginenses.)

\*) l. 2, p. 6. Livii quoqve locum inter alios proferens.



§. 23. Quod de Nuncii vocabulo diximus, ad alias quoque voces pertinet, ut *Oratoris*, ut *Interpretis*; quæ modò Legatum notant, modò aliquid à Legato distinctum; nec dubium tamen, quin utrumque vocabulum latiore notione acceptum, utrisque adhiberi queat pro genere (a). Imò si Conradum Brunum (b) & Budæum (c) audimus, qui observant, Oratores alicubi *speciem quandam Legatorum* notare, qui scil. deprecabundi veniunt, nova quædam & rara synecdoches hæc descensio in tertium usq; gradum fuerit.

§. 24. Etiam Ambasciatoris nomen, quo Galli & Itali amant Legatum salutare, si verum etymon respicias, à genere defedit in hanc speciem. Est enim flexum à prisco *Ambacht / officium, ministerium, opera vel operatio*, pro quo concisius hodiè dicimus *Ambt* (d). Cæterum est, ubi similiter vox Ambasciatoris novo descensu certam *Legati speciem* designet (e).

Et differentiam.

cujus partes due,

prior:

§. 25. Ad *Differentiam Legati specificam* duo membra nobis adhibenda putavimus; *unum*, quod Legatum nostrum à Nuncio DEum hominibus, aut ejusdem Reip. partes, aut summam quamvis non summæ, aut privatos inter se copulante (f); *alterum*, quod ab Agendario similibusq; minori dignitate pollentibus Rerump. Nunciis (g) dirimeret. Prioris itaque Nuncii excludendi causâ diximus, Legatum à Rep. ad Remp. mitti; posterioris, ita mitti, ut simul Reip. mittentis personam afferat. Hoc enim clariùs videbatur, quàm quòd hunc in finem Besoldo 2. 6. p. 14. placebat, Legatos *solemniter* mitti.

§. 26. *Reipublicæ nomine capita ipsarum* intelligimus. Gro-tius (suprà §. 9.) *summi imperii compotes* vocat. Hi sunt in Democratiâ *Populus*, in Aristocratiâ *Optimates*, in Monarchiâ *Rex*.

§. 27.

- a) Intelligetur hoc ex Alb. Gentil. p. 3. 4. 5.      b) II. 1. f. 32.  
c) annot. post. in Pand. p. m. 49. A quo tamen dissentit Alb. Gentil. d. 1. p. 4.  
d) Vid. Besold. p. 9. 10. König. §. 3. Voss. de vit. Serm. p. 9. & 175. Schottel. opere de ling. Germ. p. 288.      e) de quo dicetur §. 50.  
f) hæc Nunciorum genera jam submovimus §. 7.  
g) de quibus §. 14.



§. 27. Et quoniam optima Rerump. habetur Monarchia, licebit in posterum pro Rep. Regem quoque appellare aut Principem. Sanè Besoldus, cum Legatum definiens c. 2. n. 2. dixisset, illum ab eo, qui potestatem legandi habet, ad alium ejusdem potestatis mitti, statim addit: h. e. à Principe absoluto ad absolutum.

§. 28. Simul autem hinc intelligis, Legationem non nisi paribus intercedere. Quælibet enim Resp. par est alteri. Nec refert aliam ab aliâ ditionum amplitudine aut virium potentiâ superari. Ad æqualitatem enim hinc sufficit, neutram alterius imperio teneri, ut ab eâ leges accipiat. Quamobrem ne quidem fœderis inæqualitas paritatem hanc tollit, quia nec imperii summitatem (b). Sic, ut similitudine utamur, Pater quivis familias alteri, licet eo minùs sit locuples, aut cum eo nexum habeat imparis amicitia, domesticâ in suos potestate par statuitur.

§. 29. Aliter pronunciandum, si una justo bello vicerit alteram. Hinc, ut Dn. Ziegleri p. 412. verbis utamur, concedendum est, victorem non teneri Principis à se victi Nuncios ut Legatos venerari. Quæ enim hinc intercedit relatio victoris & victi, extinguit æqualitatem propter quam jus Legationis sustinetur.

§. 30. Quod in Definitione ultimum ponebamus, à Legato Reip. mittentis personam afferrî, ex eo sequitur, ut ipse quoque Legatus illi ad quem mittitur Principi, saltem hætenus par habeatur, ut subiectus ei non sit, sed sancto hospitii jure, quod hospitem à peregrino vulgari distingvit, perfruatur. Eodem enim loco haberetur ipse Legati, si adesset Princeps (i).

posteriora

§. 31. Enim verò Legati fictione quadam, uti Grotius loquitur (n. 4. circa med.) habentur pro personis mittentium. Cujus quidem fictionis ea prætereà vis est, ut quod Legato, quæ tali, vel venerationis defertur, vel dedecoris imponitur, hoc in ipsum qui legavit, Principem redundet.

§. 32. Hinc & generaliter moribus receptum est, ut idem omninò honor Legationibus in sedendo, subscribenbo, ferendis suffragiis,

b) Grot. l. 3. 21. II. 18. 5. i) Vide quæ dicemus §. 95. 96. ubi hoc distinctiùs explicabitur, & adde locum Dn. Ziegleri infra §. 126.



gils, aliisq, id genus similibus rebus exhibeatur, qui illi, à quibus missi sunt, si praesentes essent, deberetur, Brunus V. 8. f. 196. & Besold. 5, 6. p. 47.

§. 33. Quòd verò in Comitibus praesentes Electores absentium Legatis in sedendo praesententur, quòd & inter Principes observari Brunus d. l. f. 198. animadvertit: hoc è lege vel consuetudine speciali, quæ in externis quoque Legationibus locum inveniat, procedere videtur. Cujus rationem inde petas, quia in Principe praesente propria est Majestas, in Legato aliena; illic veritas, hinc fictio. Vide Besold. d. l. & R. Z. Part. II. Jur. Fec. sect. 4. q. 4. p. 182. Enimverò licet fictio veritatis pondus habeat ordinariè: tamen, ipsa lex positiva, quæ fictioni pondus hoc dedit, decerpere vicissim ipsi aliquid ob causam specialem potest.

Distinctio,  
in modos con-  
cipiendi  
prima,

§. 34. Hoc certum, & gratiâ dicendorum observatione dignum (k), alterius personam sic indui à Legato, ut propriam, non planè deponat. Quin potius has duas unus gerit: ut adeo ipse bifariam considerari possit, semel sub Principis, iterum sub sua personâ.

secunda,

§. 35. Atque hæc jam una Legati nostri distinctio est, eaq, intrâ conceptus tantum consistens. Cui affinis altera, quâ Legatum, quoniam ille se medium gerit inter duos, jam ad mittentem referimus, jam ad eum, ad quem est missus (l).

§. 36. Duabus his relationibus, quas in quovis Legato coire liquidum est, in quibusdam, qui, antequam iter absolvant suum, per territorium tertii transire necessum habent, tertia quoque accedit, ad hunc ipsum puta, cujus fines ita peragrant (m).

§. 37. Tametsi verò isthæc relatio tantum accidentaliter ipsi est, nec tam ut Legato, quam ut peregrinanti adhæret (n): tamen

k) usum observationis intelliges cum primis è §. 203.

l) Keckerm. I. Pol. 24. p. 384. Legatum distinguit in emissum & admissum. Vult enim versus utrumque praescribere Principi officia. Nostrâ hinc magis interfuit eundem Legatum in duos respectus partiri quam è duobus respectibus duplicem Legatum facere.

m) Quòd referas & casum, si contingat à Principe tertio capi urbem in quâ degat Legatus ad alium missus.

n) In hunc sensum illud interpretor Besoldi p. 58. Ex naturâ relationis regulariter non sunt Legati, nisi respectu eorum, ad quos ablegati.



men meritò Legatus hanc ipsam ob causam, quia sacram Principis personam defert, vulgo peregrinantium, etiam intrà ditionem tertii sic eximitur, ut majore securitate, siquidem constet, eum Legatum esse, neque Legationem ejus ad nocumentum tertii pertinere, suprâ cæteros viatores gaudeat (o).

§. 38. Imò si Legatum spectes ex iis, quæ jure gentium ipsi debentur, citius eum cum hoc tertio Principe, quàm cum mittente contendas. Quod enim ipsi debet mittens, id ex jure gentium, quippe quod externos tantùm inter se devincit, esse non potest (p).

§. 39. Et hæc *tertia* sit distinctio, quæ Legatum videlicet contemplatur vel quatenus *Gentium*, vel quatenus *alio quovis jure* aliquid ipsi debetur.

§. 40. *Quarta* pendet à nexu, quæ ipsi cum comitibus suis, familiâ item (q) ac rebus ita intercedit, ut hæc omnia cum ipso certâ ratione unum constituent corpus morale. Potest ergò Legatus concipi vel ut totum *physicum*, h. e. ut phrasin alioqui forte obscuram explanemus, in sua solius personâ, quæ tamen hîc Principis imaginem non excludit: vel ut totum *morale*, simulque adeò in iis, quæ ipsi connexa dicebamus modò.

§. 41. Utravis ratione illum sumas, inviolabilis est. Quamobrem securitatem Legati ad Comites ejus quoque, familiam, acres extendunt Doctores (r). Interim haud dubiè major ipsi in se spectato debetur securitas (s), ut qui solus Principem suum representet.

§. 42. Distinximus hucusque Legatum in *modos considerandi*. Nunc velut in *species* partiamur. Quod plurifariam quidem fieri potest: sed hîc satis erunt nobis divisiones duæ.

B 2 §. 43.

o) conf. Bort. ap. Arum. I. p. 123. Besold. p. 59. Grot. n. 5. & ibi Dn. Ziegl. p. 417.

p) secundùm hoc illud exaudio, quod Ærodius c. 22. è Livio profert: Legatus respectu extranei est, non civis, neque ejus intuitu, quæ missus, sed eorum, ad quos missus mandatusque est.

q) Comites Legati à familiâ ejus distinguit R. Z. Part. I. Jur. Eec. sect. 4. p. 37.

r) Alb. Gent. II. 15. Besold. §. 12. Grot. n. 8. R. Z. d. l. p. 44.

s) Hinc Ærod. c. 16, non eo jure esse Comites quò Legatos, ait.



Prima.

§. 43. Primò Legatus vel ab amico Principe, (quo nomine & is censetur, qui hostis certè non est,) vel ab hoste advenit. Illum appellare *rogatum* liceat, hunc *sagatum*.

§. 44. Ac potest quidem & is qui ab amico venit, *bellum* indicare saltem sub conditione, & qui ab hoste, consilia *pacis* agitare; quo pacto nova nascetur in hac distinctione membri utriusque significatio: veruntamen instituto nostro aptius est, hæc duo, quæ diximus Legatorum genera mittentium *personis*, quàm *rebus*, quas tractant, distingvere (1).

§. 45. Quòd si maximè Legatus idem, ut Fabius (u) olim, eodem sinu bellum pacemque portet, h. e. amici pariter & hostis personam repræsentet: tamen, si accuratè rem intuearis, duplex hæc persona non nisi per distincta temporis momenta exercetur, ad eum modum, quo videmus in privatorum quoque congressibus, qui amici convenerunt, hostes interdum discedere. Nam spacium illud, quo Legatus inter hostem & amicum ambigit, quia hostem certè nondum absolutè profitetur, meritò amicitie deputabitur potiùs, quàm hostilitati.

§. 46. Hic illud non omittendum est, utut hostis personam afferat Legatus, & hostilia nunciet, hostilitatem ejus tamen aut nullam esse (x), aut neutiquam militarem, sed quasi civilem, seu pacatam, cum tota, quanta est, intra verba aut innocentes per se ceremonias terminetur. Junge, quæ dicemus §. 92.

§. 47. Cæterùm *primam* hanc legatorum varietatem quovis ævo usurpatam gentibus fuisse dubitari non potest. Altera tùm demùm cœpit, cum Legationes assiduæ (y) coegerunt *temporarium* Legatum à *perpetuo* distingvere (z). De quibus illum & *extraordinarium* dici video, hunc *ordinarium* (a), ex moribus puta ævi nostri. Nam veteres, qui perpetuum seu assiduum Legatum planè igno-

1) Causam intelliges cum primis è §. 93. 95. 96. u) apud Florum lib. II. c. 6. n. 7. x) Aimoinus apud Grot. annot. ad n. 1. p. 277. *Exiit hostem, qui Legatione fungitur.* y) ita vocat Grot. n. 3. in fin. ubi addit has Legationes mori antiquo ignoratas fuisse. Quæ de re & Gryphiander vide Vol. I. Arumæi p. 268. & Besold. 2, II. z) faciunt hoc Keckerm. I. Syst. Pol. 24. p. 386. Gryphiander. (qui pro *temporario temporaneum* vocat) & Besold. d. I. a) à Besoldo ib. Paschal. c. 67. & aliis.



ignoraverunt (b), temporarium profectò suum nomine extraordi-  
narii non affecissent.

§. 48. Est autem Legatus *temporarius* qui cum certo sit nego-  
tio destinatus, eo confecto tempus habet redeundi; *perpetuus*, qui  
ob hoc ipsum, quia non certæ alicui causæ, sed omnibus ad Princi-  
pem suum spectantibus, invigilare atque incumbere jussus est, re-  
vertendi ex hoc fine definitum tempus habet nullum.

§. 49. Pro temporario Legato Albericus Gentilis Legatum  
negotii aut officii vocat, pro *perpetuo temporarium* (c). Sed ab  
ejus stylo, quia subobscurus est, pendere hîc nolimus. Juvat in-  
terim observare obiter exemplum termini ejusdem à diversis in  
sensus planè contrarios expositi.

§. 50. Perpetuum Legatum speciali vocabulo *Residentem* ap-  
pellare mos obtinuit hodiè, quò nomen *Ambassadoris* (d) tempo-  
rario velut eximio reservetur. Sic enim docent, Residentes, uti  
superiores habentur Agentibus (e), sic inferiores esse Ambassadori-  
bus, h. e. Legatis extraordinariis (f).

§. 51. Imò sunt, qui Legatorum censu planè submotos cupi-  
ant *Residentes* (g). Sed hi vitia talium Legatorum cum officio ipso  
aut virtutibus confundunt, meritoque deseruntur à peritiori-  
bus (h).

§. 52. Interim non negatur, temporariis seu extraordinariis  
eos esse quoadantenus impares: in eo certè, quòd cum temporarios  
Legatos Gentium jus vetet sine causâ rejici, totum è contrario ge-  
nus assiduæ Legationis optimo jure possit recusari (i), ut factum  
olim ab Henrico VII. Angliæ Rege (k).

B 3 §. 53. Sa-  
mali (b) diximus modò lit. y. (c) lib. I. cap. 5. ubi Legatos temporis,  
sive temporarios definit, *qui ad non definitum certumque negotium, sed ad  
tempus sive certum sive incertum ita mittuntur, ut dum in Legatione de-  
gunt, omnia tractent faciantque, quæ è re mittentis toto illo tempore esse con-  
sint.* d) de quo supra §. 24. e) de quibus §. 14. f) Besold. 2,  
6. Dn. Ziegl. p. 413. g) ut Kirchnerus apud Gryphiandrum p. m. 268.  
& Besoldum p. 18. atque alii, qui non ex Legati jure, sed ex pacto singulari  
utriusque partis eos valere asserunt apud Rönig §. 21. Iniquior illis & Pa-  
schalius est c. 67. h) ut Gryphiandro & Besoldo d. l. i) Grot. n. 3. sub  
init & fin. k) Alb. Gent. II. 12. p. 111. qui addit, *his sublati Legationibus Gen-  
tium nihilo deteriora commercia fore. Quod ulterius expendendum relinquo.*



INVIO-  
LABILITAS.  
jus etymon;

§. 53. Satis de naturâ Legati, variisqve respectibus ejus ac dif-  
ferentiis. Nunc *inviolabilitatem* ejus intueamur.

§. 54. *Inviolabilis*, si grammaticè interpreteris, est, *qui violari non potest* (l). Sed hîc *potentiæ* vocabulum, ut in argumento civili sæpissimè, accipere oportet pro facultate *moralis* aliquid justè ac licitè agendi. Ergò Legatum *inviolabilem* qui dicit, non hoc vult, eum *simpliciter* non posse, (repugnant enim tot exempla violationis,) sed eum non *licitè* posse violari.

§. 55. Pro *inviolabili* Cæsar etiam dixit *inviolatum* III. de Bell. Gall. 9. *Nomen* (Legatorum) *ad omnes nationes sanctum inviolatum* q. Quod si de *facto* intelligas, quæ quidem derivatorum hujusmodi ordinaria est significatio, falsum sæpè; sin de eo, quod *fieri debet*, semper fuit verissimum.

§. 56. Cùm ergò debiti ac moralitatis tacita quædam confessio sit in vocabuli desinentiâ: ratio postulat, ut ipsum *violandi* verbum, quò vitetur τὸ πειτόλογον, à moralitate liberemus. Igitur, licet aliàs violari dicatur, qui *per injuriam* læditur: hîc tamen ea vox à jure pariter & injuriâ *præscindens* notat *lesionem* seu βλάβην *simpliciter*, quæ fit aut inferendo alicui malum, aut auferendo, quod habebat, bonum.

definitio no-  
minis;

§. 57. Quamobrem, ut integra nominis definitio prodeat: *Inviolabilitas Legati debitum est aliquod ipsi præstandum, quod expletur actu non ledendi.*

Restrictio ex  
parte

§. 58. Jam cùm per §. 35. & 36. contendi Legatus possit cum eo, qui misit, cum *altero* ad quem missus est, cum *tertio* per cujus ditionem iter habet: nemo quidem horum est, quin certa ratione lædere queat Legatum: sed cùm figuram *inviolabilitatis* vix aliam animo concipi videamus, quàm quæ *jure gentium* regitur (m) illam læsionem primò removemus, quæ ab ipso *Principe mittente*, ut cui  
Legat-

l) Hoc simplici sensu de Marico Tacitus usurpavit II. Histor. p. m. 259. *Captus in eo praelio Maricus, ac mox feris objectus; quia non laniabatur, stolidum Sulgus inviolabilem credebat.*

m) ita Grotius n. i. caput de jure Legationum, (& in his illam partem de non violandis Legatis n. 4.) refert ad obligationes, quas ipsum per se jus Gentium induxit.



Legatus alio, quàm gentium jure per §. 38. copulatur, offerri potest: puta, si sinat eum intrà suos fines lædi (n); si extrà fines læsum non ulciscatur (o), & quæ sunt similia.

§. 59. Alteram quoque læsionem, quæ à tertio Principe, cujus fines Legatus perambulat, interdum evenit, hinc declinamus, sed ex aliâ causâ, ne copiâ dicendorum, quam fugimus, obruamur. In quo nobis veniam speramus tantò paratiorem, quia per §. 27. iste Legati ad tertium respectus ipsi accidentalis est.

§. 60. Restat ergò solus ille Princeps ad quem Legatus mittitur. Qui cum multa Legato quâ tali debeat, violare quidem in singulis ipsum, si contra fas egerit, censebitur: sed isthæc violandi significatio latior est, quàm ut eam in re præsentis stilius ferat Politicorum.

§. 61. His videlicet *inviolabilitatis* nomine certa tantum debiti versus Legatum species venit, & à cæteris debitis, h. e. *recipiendi, audiendi, dimittendi* separatur (p).

§. 62. Ea verò est, quam alio nomine vocare solent *securitatem* (q), *sanctimoniam* (r) item & *sanctitatem* (s). Sunt enim Synonyma ferè *sanctum* & *inviolatum*. Itaque vocem utramque de Legatis conjungit Cæsar (t). Et Marcianus J.C. (u) *Sanctum est*, inquit, *quod ab injuriâ hominum defensum atq; munitum est*.

§. 63. Pu-

n) Vide quæ differit Herod. c. 22. occasione casus à Quintil. Declam. 366. p. m. 459. propositi: LEGATUS SACROSANCTUS SIT. PRODITOR CUM FILIIS EXULET. Cujus filius Legatus erat, proditoris damnatus est. Revertentem Legatum quidam occidit. Cædis reus est. Ubi inter alia Herodius indignissimum esse ait, quod quædam magis inter hostes, quàm inter cives esse tutum.

o) Qui Legatos suos vel ab injuriis non defendunt, vel violatos non vindicant, quoniam fidem ipsis, quam debent, non præstant, non minus ledere eos, quam hostes intelliguntur, Brun. IV. 3. f. 159. Besold p. 56.

p) Grotius n. 3. duo tantum Legati jura numerat, prius, ut admittantur, deinde, ne violentur. R. Z. (quem hic sequimur) Part. I. sect. 4. p. 39. quatuor: Receptionem, (hæc admissio est) Audientiam (pro quâ videas & admissionem usurpari, ut facit Paschal. c. 36. & 57.) Dimissionem, (responsum intellige) & securitatem, (hæc est inviolabilitas nostra.)

q) R. Z. d. I. Bortius, Gryphiander, & Dan. Otto apud Arum. I. Jur. Publ. p. 122. 272. & V. p. 165. Besoldus c. 5. n. 9.

r) Grot. n. 1. ubi & notæ vide. s) Dn. Ziegl. p. 415. t) supra §. 55. u) l. 8. ff. de rer. divis.

objecti

forma

(ubi synonyma)



§. 63. Putes his cum verbis respexisse ad etymon sancti à *san-*  
*ciendo* (x), quod Isidorus lib. XV. Orig. c. 4. interpretatur *confir-*  
*mare*, & *irrogatione pœnae ab injuriâ defendere* (y). Sed ipse tamen  
mox aliam vocabuli originem edisserit, cum ait: *Sanctum dictum*  
*est à sagminibus* (z). *Sunt autem sagmina quaedam herba, quas Le-*  
*gati Populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicut Legati*  
*Græcorum ferunt ea, quæ vocantur ἀνεύκεια.*

§. 64. Porrò quanquam illa debita Legato securitas ad ejus  
*comites* quoque se ac *res & familiam* porrigit per §. 41. hoc tamen  
fit per derivationem tantum aliquam juris à primo fonte, qui per-  
sonam ipsius Legati circumscribitur.

subjecti.

§. 65. Liceat verò nobis hunc intrà fontem studio brevitatis  
nos continere, h. e. Legati *sanctimoniam in solo ejus corpore*, uti  
§. 40. vocabamus, *physico* intueri. Quos limites ex illo quoque,  
ut volunt (a) Varronis eruat aliquis: *Sancta sunt CORPORA Lega-*  
*torum.*

x) Isidori hoc etymon probat Voss. f. 445. etymol. Becmannus &  
*sanctum*, & *sagmen*, & *sacrum* derivare mavult ab ἀγίων, p. 940. Orig.  
Sed quid est, quod apud Bonavent. lego Part. III. stim. divin. am. c. 17. p.  
m. 468. *Sanctum, id est sine terrâ*? Respexit ad etymon græcæ vocis, quam  
sunt qui ab ἀνεύκεια & γῆ deductam cupiant. Hayno homil. fer. sext.  
quatuor temp. p. 44. *Verbum quod dicitur ἀγίων, quasi extrâ terram esse*  
*significat.* y) quomodo & Festo *Sacro sanctum dicitur, quod jure juran-*  
*do interposito est constitutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet,*  
*cujus generis, inquit, sunt Tribuni plebis.* Conf. eundem Festum in *Sagmen*  
& *Sanctum.* z) Sic & Alb. Gentilis citat. l. 13. p. 38. Idem tamen p.  
præc. hoc voluisse Marcianum ait, ut verbenæ sagmina dicantur, *quia san-*  
*ctos, id est defensos atq; munitos facerent eos, qui ipsas portabant.* Quasi  
scripsisset ille: *Sagmina dicta sunt à sancto.* Albericum sequitur Besoldus  
2, 9. p. 15. nisi quòd pro *sagminibus* scribit *segmina*, velut à *secando*, quod  
tamen imputandum fortasse typhotetæ. De Legatorum sagminibus vide &  
Brunum IV. 1. f. 150. a) è Varronis lib. III. de lingvâ Latinâ citant Gro-  
tius not. ad §. 1. p. 277. & ante ipsum Gryphiander & König. ap. Arumæum  
Volum. I. p. 272. & II. p. 638. item Scriptor *Quæstionis Veteris & novæ* p. 12.  
Atque tres Varronis de ling. lat. priore, libri desiderantur. Neque licuit hoc  
reperire vel in cæteris, vel in deperditorum fragmentis, quæ quidem Dion.  
Godofredus in *Autorib. L. L.* repræsentat. Quid ergò dicemus? An alio-  
rum fide passus hîc est se decipi Grotius? Sanè Ciceronis quoque è III. Var-  
rinâ locum, quem statim subjungit, aliunde, quam ex ipso Cicerone, qui  
paucioribus hîc verbis utitur, descripsisse eum apparet.



torum. Id quod apud Dyonyfium Halicarnafleum (b) de verbo  
græcè legitur; ἰσογὴ ΣΩΜΑΤΑ πρεσβευων.

§. 66. His metis inclufa Legatorum Inviolabilitas delineari  
vix commodè fatis poterit, nifi de causâ ejus tum *efficiente* tum *fi-*  
*nali* quædam prius exponantur, generalia quidem futura plera-  
que, neque huic difputationi propria, fed nobis tamen minimè  
diffimulanda.

§. 67. De *Efficiente* Securitatis hujus causâ magna Scripto- *Efficiens, est*  
rum est confenfio, *Jure Gentium* (c), quod hâc in re Lucanus (d) *Jus Gentium.*  
jus mundi, Tacitus (e) fas gentium appellant, eam valere.

§. 68. Vocabulo autem Juris Gentium id jus hoc loco intel-  
ligimus, quod pertinet ad mutuam Gentium inter fe Societatem  
(f), quodque mutuam earum obligationem in fe continet (g). Eo-  
dem hoc fenfu Bodinus (h) *Feciale Jus* videtur appellaviffe.

§. 69. Sed unde, quid fit juris gentium, cum de Legationum *Cujus contro-*  
fecuritate quæritur probabimus in re dubiâ? Certè *exemplis* finiri *versas decide-*  
lis hæc non potest (i). Quæftio enim est de *jure ac debito* per §. 57. *re oportet non*  
exempla verò constant factis, quæ non omnia iufta funt ac debita, *exemplis,*  
fed *injufte* quædam (k); alia iufta quidem ac licita, fed *indebita*, fi-  
quidem nefas non eft, quod jus usurpare licet, id omittere in loco,  
fi vel iufta svadeat utilitas (l), vel invitet animi magnitudo (m).

C

§. 70.

b) V. Antiq. Rom. f. 302. ed. græcol. A. 1586. c) Si civi pulsa-  
tus erit, actio injuriarum est; si Magistratus, majestatis; si Legatus, bello &  
jure Gentium agitur, inquit Fabius apud Ærod. c. 10. Plura veterum testi-  
monia dabit Grot. n. 1. & 8. & in not. ad n. 1. d) lib. X. v. 471. Sed neq;  
jus mundi valuit, neque fœder a sancta Gentibus. e) I. Annal. p. m. 14:  
Hostium quoque jus, & sacra Legationis, & fas gentium rupistis. f) ita  
Grotius definit II. 8. 1. seu, quod inter gentes est diversitas. g) Idem  
III. 1. 8. h) V. de Rep. 6. ab init. Sequitur Bodinum operis sui principio  
Scriptor Juris Fecialis. i) agnovit Grotius II, 18. 4. & 7. k) Exem-  
pla vetera violata per injuriam Legationis passim obvia sunt. Recentia  
Conrado Bruno exprefserunt querelam & cautionem II. 1. f. 151. 152. Conf.  
Besold. 5, 10. p. 51. è Paschal. c. 22. l) ex status ratione, ut ait Besoldus  
§, 19. p. 61. Vid. & Marsel. lib. II. Diff. 13. p. 366. ed. Vinar. A. 1663.

m) Inter jus & magnanimitatem distingvit & Alb. Gent. I. 2. p. 69.  
in exemplo Scipionis Africani, qui mentis parcens Legatis maluit Ro-  
mani Imperatoris deceptam fidem, quam frustra imploratam judicari, apud  
Valer. Max. VI. 6. Minus igitur benè ab hoc exemplo jus metitur Æro-  
dius



§. 70. Quòd ergò Bodinus (n) in hoc genere quæstionum à Romanis, qui optimè jura fecialia ac totius justitiæ vim tenuerint, petenda nobis esse vult exempla, id oppidò lubricum est, si horum exempla cupit habere vim regularum *stricti juris*. Posito enim, non concessio, nunquam contrà jus gentium egisse Romanos: exempla horum sola, si nihil addas, officium *debitum* ab *indebito* neutiquam secernunt.

*nec præjudici-  
is Feccialium  
Romanorum,*

§. 71. Imò dubitare possis, an vel Collegii *Feccialium* decreta, quos juris gentium supremos in eo populo ab Numæ temporibus judices fuisse apparet (o), hîc aliquid amplius præstare nobis queant. Quid enim si dicas, in iis faciendis memores ipsos fuisse Romanæ magnanimitatis, quæ viguit in eâ gente quondam eximia?

§. 72. Age verò, credamus Fecciales nihil unquam edixisse præter id, quod stricto jure debitum censerent: quæramus, quantum valere horum autoritas in his debeat controversiis. Puto debere, non nihil. Consentaneum enim, & peritos ejus fuisse juris, nec sententiam præcipitasse. Sed neque horum tamen præjudicia propissimis Gentium legibus habuerim protinus. Nam si pacto mutuo hæ sunt ortæ, probandum est priùs, quod ita edixerunt Fecciales Romanorum, id alias Nationes æquè suum pronunciavisse; siue naturâ valent potius, (quâ de re postea §. 74. seqq.) nisi ratio decidendi, quam hîc tamen tacere solent Historici, proferatur, nihil certi sola ipsorum autoritas nobis relinquit.

§. 73. dius c. 17. Quid enim talibus debeat, dictum est §. 18. Ad *magnitudinem animi*, & *rationem status* simul referas illud Romanorum, quòd Priverno capto victæ urbis Legatos, (quales §. 29. consideravimus,) etiam cum superbè responderent ac ferociter, non tulerunt modò, sed & victis jus ac beneficium civitatis dederunt, ap. Liv. lib. VIII. c. 21. & Val. Max. VI. 2.

n) V. de Rep. 6. f. 603. D. conf. ibid. f. 595. A. Bodino adjungamus autorem Quæstionis Vet. & novæ, qui p. 29. admittit aliquo modo argumentum ab exemplis, sed ita, ut plura prævaleant paucis. Minus benè. Primò enim, quis numerabit omnia? Deinde, fac numerus omnium sit præstò; jure metui potest, ne plura sint mali moris. o) è Dion. Halic. II. Antiq. Rom. c. 73. & Historicis passim. Quare inter hos & *Heroldos* magnum discrimen statuit Warem. de Ehrenb. l. medit. pro fœd. 3. n. 18. p. 309. adversùs Æneam Sylvium, qui dixerat, *Heroldos* in locum *Feccialium* successisse. Sanè verò *Heroldos* §. 14. distinximus à Legatis. At *Feccialium* inter alia munus hoc recenset Dionys. d. l. ut Legatos agerent.



§. 73. Quæ cum ita sunt, multò minus ad *Sapientum aliorum aliorum* & *sapientum* *judicia* satis tutò hîc recurremus cum Grotio, qvî n. 4. Livium & Sallustium in hâc ipsâ de Legatis quæstione arbitros adhibet (p). Nam si hos dicas à Fecialium suorum scitis fortè pependisse, jam responsum est; sin se ipsos adhibuisse in consilium, *nemo nescit, etiam prudentissimorum judicia sepius falli*, ut hîc à Consultiss. Zieglero ad d. l. p. 414. verba mutuemur. Hinc nimirum illa sunt opinionum divortia.

§. 74. Restat itaqve, ut firmis, pro eo ac materiæ conditio *sed rationibus* patitur, *rationibus* putemus hoc jus persuaderi posse. Quamquam enim Grotius d. l. negat illud ex certis, ut naturale, rationibus oriri: tamen hîc magis probem illud Alberici Gentilis II. 18. p. 131. *Habet Jus Gentium rationes naturales* (q).

§. 75. Quamobrem de illo quoque fuerit ampliandum, quod Grotius d. l. & I. 1, 14. alibiqve passim Jus Gentium speciem facit *juris voluntarii*, nisi hoc vocabulum extendas ad illorum officiorum pactiones, quæ fuissent etiam absque pacto debita, ut non lædendi. Sed Grotius quidem aliter, cui disertè jus de quo loquimur, *ex voluntate gentium* (non ergò ex naturâ) *modum accipit*.

§. 76. Verùm hîc ex ipso quæramus: voluntatem illam Gentium expressam velit esse an tacitam? *Expressam* vocare non potest. Nunquam enim Gentes in Concilium collectæ illas leguntur sanxisse. Nec ullibi exstant earum Tabulæ. Aliàs non ad Sapientum *judicia & conjecturas confugiendum hîc fuisset Viro magno*. Ergò ut illo non minor Zieglerus p. 415. loquitur, *tacitâ tantum consensione* jus illud receptum est.

§. 77. Nunc pergam è Grotio rogare: unde consensus iste tacitus probetur? Exemplorum hîc iterum nulla vis est, cum in utramque partem facta factis opponi queant. Neque alia satis idonea ratio succurrit. Superest ergò, ut consensum evincamus ex eo, quòd in re, signis alioqvi manifestis non declaratâ, credatur quisque in id, quod *honestum est* (r), consensisse.

C 2

§. 78.

p) Vide infra p. 179. 180. q) *Jus gentium & naturale implexis principis sunt consortia*, Paschal. c. 74. p. 441. r) *Usq; adeò jus non Violandorum Legatorum firmum & perpetuum est, ut, etiamsi id non agatur, tamen tacitè belli conventionibus insit, ut Legatis hostium securitas servetur*, Brunus IV. 1. f. 151.



§. 78. Atque hæc sive præsumptio sive conjectura tantò validior est, quòd ea, quæ recta ratio, seu adeò jus naturæ circa societatem Gentium servanda svadet, conjunctum habent cum honestate *Commodum* ex humani generis tranquillitate (hanc enim huic legi pro scopo esse mox aperietur §. 81.) publicum (s). Nam & in id quisq; censetur consensisse, quod sibi juxta honestatem utile est.

§. 79. Inferamus è dictis, jus Gentium ejusq; partem hæud postremam Jus Legationum sic esse *voluntarium*, ut simul sit *naturale* non permissivè, sed impulsivè (t). Id quod innuisse quodammodò etiam videntur, qui jus Legatorum non ad homines modò, sed DEos retulerunt è scriptoribus paganis (u). Nam hi certè divinæ Legis nomine naturalem solent accipere, cum de divinâ voluntariâ, quæ gentium inter se commercia dirigat, altum sit apud ipsos silentium.

§. 80. Jam si gentium jus ab ipsâ Naturâ promulgatum est, videndum, quòdnam sit illud rectæ rationis in hoc argumento dictamen primum, in quod consentire Gentes, nisi vellent cum naturâ sociali pugnare, debuerunt, & à quo velut ultimo principio Gentis in Gentem officia derivanda veniunt. Id verò nullibi certius deprehendemus, quàm in ipso fine Societatis Gentium. Atque sic ab efficiente causâ sumus ad finalem deducti.

Finis.

§. 81. *Finis* ergò Societatis Gentium est *justa Gentium Pax*. *Pacis* nomine tranquillitas Gentium venit, sive illis amicitia quove fœdus intercedat, sive saltem nulla eas hostilitas ac bellum implicet. *Justam* autem intellige, quæ suum relinquat Genti cuivis, atque adeò paritatem illam Rerump. inter se, quam §. 28. delineavimus, non convellat.

§. 82.

s) Conf. Dn. Ziegl. p. 413. t) *Jus Legatorum in suo formali non differre à jure naturali: fluere ex ipso imperante aut prohibente, non permissivo, rectè sentit p. 16. & 18. Anonymus, qui scripsit Epistolice dissertationem pro Hobbeo, autor cætera improbæ notæ.* u) Cic. de Harusp. resp. p. 251: *Sic enim sentio, Jus Legatorum cum hominum presidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum.* Citat & Grotius n. 1. cujus hîc notas adde p. 277. *Publico Gentium, imò divino jure indiviolabiles sanctiq; semper habiti sunt Legati,* Besold, p. 50. quem & vide p. 55. Confer quæ dicemus §. 109.



§. 82. Vides in hoc fine duas esse veluti partes, unam, ne pax est pax & Æ-  
turbetur, seu tranquillitas mutua; alteram ut æqualitas custodia-  
tur, quâ gens quæque domi Majestatem habet alteri parem. Atque  
hæc duo verè videmur cardines universi Gentium juris appellare  
posse.

§. 83. Jam cum finis quilibet contemplatione mediorum,  
vim habeat mensuræ: certum est, justâ quam diximus Gentium pa-  
ce officia quoque ipsarum inter se mensurari ad eum modum, quo ju-  
sta vicinorum pax seu concordia horum inter ipsos officiiis mo-  
dum præscribit.

§. 84. Sanè verò Corpus gentium, quod ad finem attinet, si-  
milis est Societati vicinorum, quam Reip. Quæ comparatio in id  
insuper prodesse potest nobis, ut sciamus, etiam cum de Legatio-  
num jure quæritur, non inconcinnum esse argumentum, quod à So-  
cietatibus istis minoribus ac privatis ad hanc maximam & publi-  
cam servatâ proportione (x) ducitur (y).

§. 85. Primum ergò dictamen rectæ rationis, quo Gentem  
Genti Natura obligatam cupit, est hoc: *Colendam esse justam Pa-  
cem.* Quod licebit etiam sic efferre: *Ita cole Pacem, ne tollatur Gen-  
tium æqualitas;* vel è paulò ante dictis partiri in præcepta duo: 1.  
*Stude Paci.* 2. *Consule Paritati.*

§. 86. Atque in his iisdem cardinibus duobus universum quo-  
que volvitur *Jus Legationum* (z), quippe quod juris gentium eximi-  
am portionem constituit. Ut adeò sperandum sit, quoties hoc in ar-  
gumen-

C 3

x) Cur ita limitem, patebit è §. 176. y) Fecimus hoc jam su-  
prà §. 28 & 45. facturi porrò §. 115. 141. 173. Fecit ante nos Bortius apud A-  
rum. Vol. I. p. 124: *Privatus tam securus, tam sui negligens non est, ut domi sua  
sibi injurias fieri patiatur: & nos Legatum, ut Principes contumelia impati-  
entissimos consiliis proscindat, impunè laturum putabimus?* Fecit Besoldus  
5, 2. p. 43. *Cur hostium Legati non admitterentur in opidum (ita apud Livium  
ea Roma pars dicitur, quæ intra mœnia erat, & ab urbe differebat,) ratio  
manifesta esse potest, nempe quia & non recipimus privatos inimicos in pri-  
vatas ades.* z) Pacem esse finem Legationum agnovit & Kecker-  
mannus. Qui cum I. Syst. Pol. 24. p. 372. curæ Principis ergà externos pro sco-  
po primo dedisset, *ut habeat pacem, & ut loquimur, bonam correspondenti-  
am cum exteris Principibus:* postea inter media hujus scopi p. 384. recenset  
Legatos.



gumento aliqua debiti controversia incidit, eam non infeliciter de-  
cidi posse ex his duobus principiis, quæ sunt, *Pax gentium & Æqua-*  
*litas.*

§. 87. De *Æqualitate* hoc amplius pro instituti nostri ratio-  
ne monendum, custodiri eam in Legatione, cum jura Legati sic  
temperantur, ut nec mittentis Reip. nec ejus, ad quam itur, Maje-  
stas minuatur: ad Majestatem verò mittentis Reip. conservandam  
referri, cum Sanctitas Legatorum deducitur à Majestate communi-  
catâ, Quâ de re infra §. 95.

§. 88. His ita præmissis *inviolabilitatem* Legatorum, intrâ ter-  
minos sanè quàm arctos, quos illi à §. 58. ad 66. circumdedimus,  
conjectam speculemur. Quæ tametsi debitum unicum est è pluri-  
bus (a): faciet tamen illa omnium inter se cognatio, ut eorum, quæ  
dicturi sumus, multa multis, nonnulla fortasse omnibus Legatio-  
num juribus aptari queant.

Quæstiones:

§. 89. Tria verò se hîc offerunt expedienda: 1. *Cur* inviolabi-  
litas Legatis debeat? 2. *Quanta* debeat? 3. *Quibus conditioni-*  
*bys* debeat?

prima: *Cur*  
*Legatus sit in-*  
*violabilis?*

§. 90. Quod ad *primum* attinet, deberi Securitatem Legatis  
nemo dubitat. Neque causa est in obscuro. Nihil hîc asseram de  
*Æqualitate*, quæ Legatum Principi ad quem itur, per §. 30. parem  
constituit (b). De *Pace* dicam tantum. Quoniam enim Legati com-  
merciorum inter Gentes alendorum (c), h. e. colendæ pacis (d) in-  
strumenta sunt sæpè commodissima (e), nonnunquam necessaria, ut  
Paschalius (f) non malè inventum necessitatis appellaverit Lega-  
tionem: dandum illis hoc jus fuit, sine quo vel nullum exitum, vel  
perdifficilem habitura erat Legatio. Id verò est Inviolabilitas.  
Nam si Legatus impunè posset interfici, nullum haberet exitum  
Legatio; si impunè vexari, perdifficilem.

etiam sagati  
tus.

§. 91. Tam universalis est hæc ratio, ut Legatos in securo po-  
nat non modò qui mittuntur ab *amicis ad alendam pacem*, sed qui  
ab

a) Respice ad §. 61. b) Posse ex hæc æqualitate, cujusvis Le-  
gati, si quis hoc agat, etiam Sagati, sanctimoniam deduci, patebit infra §. 96.  
lit. n. c) per §. 1. 2. 3. 4. d) per §. 86. Z. e) Vid. Besold. c. 1. n. 3.  
& 5. f) in epigraphe capitis 6.



ab hostibus ad inchoandam. Utrisque enim pro fine pax est propo-  
sita. Et his quidem sagatis tantò magis prospicere voluisse jus  
gentium existimari debet, quoniam *inter arma hostilia sola Legatio  
pacis sequestra est* (g).

§. 92. Sed quid dicemus de Legato, qui *finiende pacis*, indicen-  
di belli causâ missus est? Dicemus, etiam huic securitatem deberi ob  
hoc ipsum indicendi belli officium. Ne quid enim nescias, illa  
quondam per præconem aut legatum belli indictio, fuit quædam  
tacita professio ejus ex præscripto rectæ rationis, h. e. cum intentio-  
ne pacificâ gerendi. Quapropter è contrario bellum prorsus im-  
placabile significaturi, ἀκήρυκτον illud vocabant, i. e. non denun-  
ciatum (h). Adde quòd legatus hoc ipsum munus pacatè exe-  
qvitur, h. e. verbis innocentibus, (contumeliosa non probamus,)   
non armis pugnacibus (i).

§. 93. Quare nolim cum Alb. Gentili l. 6. p. 18. damnare  
sententiam Torqvati Tassi, *omnem Legatum pacis virum esse*, dum  
ea modò sic accipiatur, ut per ipsam salva Legati sit in togatum  
& sagatum distinctio, de quâ supra §. 43.

§. 94. Facit haud dubiè amabile hoc sanctumq; Pacis nomen,  
ut *hostium* quoque Legatis, qui alias occidi possent impune (k), sua  
pax constet, ac securitas, ut non modò pulsare ipsos sit nefas, sed  
bello etiam subito deprehensi libertatem retineant suam (l).

§. 95.

g) dictum Herodis apud Egisipp. lib. 14. c. 36. cit. Bort. & Gryphiand.  
ap. Arum. Vol. I. p. 124. & 273. Conf. Feld. not. in Grot. p. 390 391. ed. Jen. &  
Ziegl. p. 414.

h) Vide Lexicographos. Sed ex his illos emenda, qui  
ἀκήρυκτον πόλεμον sine induciis & præsignificatione interpretantur. Tu  
sine indicis lege. Erasmus Adag. 2284. causam significationis hinc repetit,  
quia qui indicit, qui mittit seciales, qui sacrificat (postremum hoc ad  
ἀσπονδον πόλεμον respicit) ipsâ morâ fiat lenior. Sed hæc non satis expri-  
munt emphasin vocabuli: quæ ex animo pendet indicentis, non ex morâ  
denunciatorii actus.

i) Vide supra §. 46. k) Dn. Ziegl. p. 415. in  
fine.

l) Pompon. J. C. l. ult. ff. de Legationibus: *Si quis Legatum ho-  
stium pulsasset, contra jus Gentium id commissum esse existimatur, quia san-  
cti habentur Legati. Et ideo, si cum Legati apud nos essent Gentis alicujus,  
bellum eis indictum sit, responsum est, liberos eos manere, id enim juri gentium  
conveniens esse. Alb. Gentil. II. 13. p. 112. Si inter duos Principes bellum subito  
exardescit, Legati eorum retinent apud utrumq; factam tectam libertatem*



Speciatim to-  
gatus.

§. 95. Legato, quem cum ab amico Principe veniat, §. 43. *togatum* appellabamus, aliud insuper certâ ratione pro scuto est, nempe Majestas à mittente communicata: cum quâ videlicet ipsâ Principis sui non sanctimoniam tantum, sed & amicitiae jura induisse censendus est (m).

§. 96. *Sagato* quâ tali, hoc est quatenus personam *hostis formaliter* representat, causa hæc applicari non potest (n). Quamdiu enim bellum durat, nullo debito stricti juris hosti quâ tali parcere tenetur hostis.

Questio secun-  
da: Quanta  
sit inviolabili-  
tas Legati?

§. 97. Veniamus ad *secundum* & quæramus: *quanta* Legatis debeat securitas? Tanta profectò, quanta supra vulgus peregrinorum ipsos extollat longissimè. Quod iterum in Legatis omnibus Augusto nomini Pacis, in togatis præterea (o) fœderi, quod jam initum est, *Amicitiae*, venit imputandum. Debet enim maximum esse jus cujus denegatione maximi res momenti periclitantur.

§. 98. Spectatur autem isthæc magnitudo *tum* in extensione partium, *tum* in graduum intensione, *tum* in durationis diuturnitate. Ordine de singulis.

ratione par-  
tium;

§. 99. *Partes* securitas Legati tot habet, quot cogitari possunt læsionum genera, quæ quidem *corpus*, (ad hoc enim solum nos respicere §. 65. testati sumus) attineant. Quare huc non refero *puras verborum contumelias*. Nam etsi certum est, his quoque violari legatum posse (p): læsio tamen isthæc magis est, ut ad *res* Legati, sub quibus existimatio, quam verbales injuriæ minuunt, quam *corpus* ejus referatur.

§. 100.

*omnem suam, quod, aliis hominibus non contingit, quæ si ita apud hostes Principis sui deprehendantur, serui eorum sunt.* Plura dabit Besold. s. 9. p. 50. m) vid. Dn. Ziegl. p. 414. ad §. *Privilegia*, & p. 416. (sub init. n) Applicari interim potest, quatenus *simpliciter Principem* representat, aut *hostem tantum materialiter*. Licet enim hosti quidem hostem, sed non pariparem, quâ tales, lædere. o) Obiter causam nota, curex Legatis eorum, qui ab amico veniunt, firmior sit securitas, duabus quippe anchoris nixa. p) *Læduntur Legati dictis, factis, utroque.* Paschal. c. 24. p. 155. qui tamen mox c. seq. dicta factis confundit, dum p. 158. exempla *factorum* memoraturus, primo loco ponit *convicium*.



§. 100. Corpus hominis læditur, gravissimè quidem occiden-  
do (cædem ipsam cæde graviorem facit genus mortis,) levissimè  
verò *attinendo*, seu iter, eundivè libertatem sistendo. His extre-  
mis inter jacent *tormenta, vulnera, mutilationes, vincula, nudatio-  
nes, & his similia*, considerata hic à nobis, quatenus corporis ali-  
quam molestiam formaliter dicunt.

§. 101. Omnia hæc jus gentium arcet à legato. Unde læsio-  
num hoc de genere *singularum* prohibitio peculiarem partem con-  
stituit inviolabilitatis nostræ, *universarum* ipsam totam circum-  
scribit.

§. 102. Quæ sic evidentissimè securitatem quotidiani viatoris  
transcendit, quòd hujus, etiam nihil peccantis iter, si interfit Reip.  
non quosvis vel undecunqve adventantes admittere, fisti, & rem  
suam obeundi libertas frenari absqve injuriâ potest, Legati non  
potest; certè quidem si sit togatus. Nam si quid hic sagato minus  
indulgetur, Principis à quo venit, ratio dispar facit (q).

§. 103. *Graduum* quantitas æstimari potest è magnitudine de-  
licti oppositi. Maximam enim oportet esse securitatem, *graduum;*  
cujus violatio (r) maximis par criminibus, maximis digna pœnis judi-  
catur. Distingvere autem hîc decet injuriam publicam à privatâ.

§. 104. *Privatam* voco, cujus autor est subditus, Principe, ad  
quem Legatio missa est, invito.

§. 105. Et hæc censetur non hujus modò Principis, quippe cu-  
jus publica violatur fides, Majestatem lædere (s), sed & contrâ mit-  
tentem gravissimè peccare (t), ac proinde lui debere nocentis de-  
ditione (u) etiam ultroneâ, puta, ut & ipse Princeps dedens inno-  
centiam sic suam probet, & penes Legatum, ejusve Principem,  
(utriqve enim dedi caput noxium potest,) puniendi sit arbitrium.

D

§. 106.

q) Rem intelliges è citatis ex Besoldo §. 84. y. r) Exempla viola-  
tionis peti possunt è Brun. IV. 2. & 3. Paschal. c. 23. & 25. & aliis.

s) Brun. IV. 2. f. 154. Alb. Gent. II. 31. p. 113. Besold. 5. 9. p. 50.

t) Rationem pete è §. 31. Cæterùm tam grave peccatum non habetur  
læsis peregrini communis. Unde obiter nota novam ab eo distantiam Le-  
gati. u) Autores modò lit. s. citati, (& in his Brunus f. 153.) ac prætereà

Ærod. c. 10. & 13. Scriptor Q. vet. & nov. p. 9. (qui hinc veram l. ult. ff. de  
Legat. lectionem à falsâ discernit) Marsel. II. 13. p. 355. R. Z. Part. I. Jur.  
Fec. sect. 10. p. 107. Atqve hi etiam exempla suppeditabunt.



§. 106. Hoc in casu solebant, qui magnanimi esse vellent, deditis veniam dare (x); quod quidem tunc putes eos fecisse, si solos privatos peccavisse crederent. Sicuti vicissim factum eorum, qui deditos planè recusarunt accipere, sic interpreteris, quòd publicum id esse delictum persuasi forent, iustoqve bello potius quàm vicimæ piacularis mactatione ulciscendum sibi statuerent. E contrario, quorum dediti sic recusabantur, hi divinam saltem iram ita se absterfisse putabant (y).

§. 107. *Publica* verò violatio est, cum vel ipse Princeps legatum lædit alienum, vel lædendi ejus autor est suis, vel denique lædentibus quasi nihil peccavissent, connivet (z).

§. 108. Atque tunc culpa contrahitur toti Reip. nisi emendetur in tempore (a), luenda. Nam & Principi in Legatis suis læso justissima belli sic præbetur causa (b), & Deus ipse vindictam prosperat (c), aut aliis calamitatibus publicis flagitium hoc ulciscitur (d).

§. 109. Enimverò & Gentiles agnoverunt, injurias, ut peregrinis quibusvis (e), ita maximè Legatis illatas, ad vindices Deos speciatim pertinere (f).

*diuturnitatis.*

§. 110. De *diuturnitate* unum hoc satis est dixisse, tamdiu debet Legato securitatem à Principe, quamdiu intrà territorium ejus consistit, atque adeò inviolabilem eum esse non tantum in *accessu*, sed etiam in *reditu*. *Nec enim quisquam Legatus esse desinit, antequam Principi renunciaverit, quid peractà Legatione gestum fuerit,*

Jac.

x) exempla duo recitat Alb. Gent. II. 14. p. 120. y) Facient huc, quæ habet Ærod. c. 14. qui tamen non ubique satis distinctè loqui videtur. z) *Nec verò principis partes sunt tantum curare, ne à se, suoqve consilio Legatus lædatur, sed ne ab alio quovis injuriam patiatur,* Alb. Gent. II. 13. p. 112. a) Vide infra §. 199. b) Besold. 5, 15. p. 56. Riemer. Disp. de Jure Bellico ap. Arum. III. de Jure publ. p. 191. Exempla insuper dabunt Brunus IV. 3. Alb. Gent. II. 14. Paschal. c. 26. c) exemplum è sacris II. Sam. 10. notum est. d) Etiam hinc Besold. & Paschal. d. I. monitis exemplisqve subvenient. Quibus addendus Brunus IV. 2. Gryphiand. ap. Arum. Vol. I. p. 272. Ærod. c. 14. e) Plat. V. de leg. f. m. 840. E.

f) Repete autores modò lit. d. allegatos. Et hinc imprimis exemplum Lacedæmoniorum, quod Herodotus lib. VII. c. 133. & seqq. narrat, multis nominibus observari meretur. Sed huc illud adscribere vetat prolixitas. Aliàs huc pertinent quodammodò, quæ §. 79. u. diximus,



Jac. Mart. II. Polit. 30. p. 913. Adde Besold. 5, II. p. 52. Sed nimirum præsupponitur, *conditiones* omnes, sine quibus privilegio suo frui Legatus non potest, rectè se habere. Atque ad has nunc nostra progreditur disputatio.

*Questio tertia:  
Quibus conditionibus Legatus sit inviolabilis?*

§. III. Quatuor illas numeramus. Quarum *prima*, ut Legatus personam suam profiteatur; *secunda*, ut ab eo, ad quem missus est, accipiatur; *tertia*, ut jure securitatis ne abutatur; *quarta*, ut qui misit Princeps justam talionem ne provocet. Priores due principium dant inviolabilitati; posteriores due cavent, ne ante tempus ea finiatur. *Prima & tertia* in manu est legati; *secunda* in ejus ad quem venit; *quarta* in mittentis.

§. 112. Primò igitur maturè personam, quam indutus accesserit, significet Legatus (*g*), quod præmissio, qui simul com meatum petat, ministro fieri potest. Cum enim eorum, quos absque ullo sui signo adit, ignorantia sit invincibilis, si debita Legato securitas ipsum non excipiat, lex naturæ talem læsionis actum aut culpâ liberat omninò (*h*), aut gravitate certè culpæ, puta, ut formaliter læsus quidem dicatur peregrinus, non verò Legatus.

*Conditio prima.*

§. 113. Secundò requiritur, ut Princeps, ad quem Legatus habet mandata, venientem admittat (*i*), seu accipiat (*k*). Nam hic alioqui jure quodam suo potest eum non admittere.

*Conditio secunda.*

§. 114. Quamquam enim lege gentium debetur Legatis admissio (*l*): non tamen ita crudè hoc intelligendum, quin liceat Principi & totum Legationis assiduæ genus detrectare (*m*), & temporariæ quoque certi Principis Legationi pro statu rerum præsentium in certum tempus obicem ponere (*n*), & certos homines, sibi justis de causis invisos (*o*), quos admittere nolit, excipere (*p*).

D 2

§. 115.

*g)* Legati ut jura ea habeant, Legatos eos esse constare debet, Besold. 5, 9. p. 57. *h)* conf. Paschal. c. 23. p. 150. *i)* vid. Grot. n. 5. *k)* hæc enim duo idem hic significant nobis, ne quis fortè admissionem capiat pro audientia cum Paschalio c. 36. 37. *l)* supra §. 61. *m)* per §. 52. *n)* si mora fiat rebus agendis, si periculum creetur ex admissione Legationis, Bort. apud. Arum. Vol. I. p. 123. Legati speculandi causâ quos verè mittuntur, non admitti possunt, ut §. ii, qui gratia fallendi, Besold. 5, 19. p. 60. è Casp. Facio. Exempla non admittæ Legationis suppetet Alb. Gentil II. 5. p. 79. & inde Besold. p. 52. *o)* e. g. proscriptos à se. *p)* Ad jus non admittendi referri aliquo



§. 115. Id ita probamus: Uti pax imperiorum & tranquillitas postulat, ne sine causâ rejiciantur Legati (q): sic paritatis interest, ne cogatur Princeps legationem invito sibi obtrusam, ac fortasse sui status rationi adversam, excipere. Secus enim hâc in re obnoxius foret arbitrio mittentis (r), nec tantum liceret ipsi, quantum privato, qui suspectum sibi aut gravem hominem prohibere suis ædibus potest.

§. 116. Quare tùm demùm Legato nascetur securitas, si ipsum is, ad quem se Legatum proficetur, admisit, quod fit annuendo, aliisve signis, vel saltem non interdicendo. Etenim hæc admissio tùm declarat abesse illam quam §. 112. notabamus, ignorantiam; tùm obicem removet, qui aliàs venientem poterat prohibere; tùm conditionis minimùm tacitæ vim habet, quæ veluti jus generale certæ personæ speciatim confirmet (s).

§. 117. Atque hîc notandum, contrahi cum Legato, non modò quatenus Principem suum repræsentat, sed in propriâ quoque personâ sumpto (t).

§. 118. Vicissim Princeps admittens intelligitur stipulari, ut ipsi quoque suisve Legatus debitum præstet officium, h. e. non violando vicem rependat (u).

Conditio ter-  
tia;

§. 119. Tertiò itaq; exigitur, ut jure securitatis ne abutatur Legatus. Neq; enim putare debemus, Jus Gentium ipsi tam illustre in alienâ ditione privilegium indulgisse cum quidvis audendi licentiâ (x), sed sub conditione non abutendi.

§. 120.

quo modo potest c. 22. Paschalii, cui titulum præfixit: *Ad securitatem Legati maxime pertinet, nunquam mitti eum, nisi explorato, priusq; impetratâ fide publicâ.* q) Grot. n. 3. r) Alb. Gentil. II. 5. p. 80. *Ni prohibere liceret, ne Legationes ad se mittantur, hoc uno satis jura gentium perturbarentur, quæ rerum dominium distinctum in violatum esse volunt, jubentq;.* Homo enim (legatus is est,) in alieno solo alienus invito domino sisteretur, necessitasq; à principe principi injungeretur, hominem sibi non subditum in subditâ terrâ habere. s) Conf. Grot. n. 5. & Dn. Feld. ibi ad §. 3. p. 391. ed. Jenens. t) Autores dabimus infra §. 203. u) Marselaer II. diss. 13. p. 358. *Inter eum Principem, qui Legationem mittit, & eum qui admittit, quoddam velut consensu videtur status, & contrahi, ut quemadmodum Legatus offendi non debet, offendere quodq; non possit.* Scriptor Q. vet. & nov. p. 31. ac Besol. p. 61. *Quemadmodum ipsi Principi, qui aditur, sancta esse debet Persona Legati: ita contra ipsi Legato sancta esse debet persona Principis, ejusq; imperium.* x) Neq; enim jus gentium protegit Legatos, ut ipsi tanquam ex in-  
fidis,



§. 120. Probatur hoc inde *primò*, quia naturalis ratio svadet, nullum Privilegium dari cum abutendi potestate intrinsecâ (y). Deinde imperiorum illa *equalitas* claudicaret ex parte Principis, ad quem Legatio mittitur, si ipsi non liceret violare missum, misso liceret violare officium. Potest ergò Legatus omninò jure suo excidere peccando.

§. 121. Sed quomodo? Ardua quæstio (z), si vel maximè *ubi controversia* summa tantùm rerum fastigia (quis enim circumstantiis omnibus *si a difficilis* satisfaciat?) persequare, ac nescio, an non à plerisque magis in fallibras, quàm planitiem deducta. Hoc certum, circà illam haud parum esse diffensionis.

§. 122. Tractant eam præter Grotium n. 4. aliosqve Brunus IV. 4. Alb. Gentil. II. 18. & seqq. Bortius & Gryphiander apud Arum. Vol. I. p. 124. & 273. Besoldus c. 5. n. 19. & seqq. Paschalius c. 27. 74. & 75. & Anonymus Scriptor excusæ Argentorati A. 1606. quæstionis veteris & novæ: an Legatum, adversus Principem vel Remp. ad quam missus est, delinquentem, salvo jure gentium retinere, ac punire liceat? Sed nemo nobis paucioribus verbis plus nervorum ad incidendas hujus controversiæ difficultates suppeditare, visus est circumspectissimo Zieglero in aureis ad Hugonem notis, in primis p. 416. & 417.

§. 123. Sic enim ille ad verba: quod criminis accipiat speciem: sed hinc præsupponendum est, crimen istud, cujus arguitur Legatus, tam esse manifestum, ut vel negare id nequeat, vel apertis convinci possit testimoniis. Non ergò sufficit, speciem criminis prætexere. (Ha-

D 3

bes

*fidis, & quodam munimine, quos lubitum erit, destinant ad ietum, sed in hoc solum, ne ipsi ledantur, Paschal. c. 27. An existimas, hanc Legatis dari peccandi licentiam, ut quæcumq; scelera in eo officio commiserunt, cum his omnibus hac unâ lege decidant? ait Quintil. declam. 12. p. m. 186. licet de peccato Legati in suam Remp. non in alienam sermo sit. y) Ad Legatum hoc applicari passim videas. Qbi enim jure aliquo abutitur, is ejusdem juris patrocinio indignus est, & ipse illo se indignum facit, verba sunt Alb. Gentilis II. 20. p. 140. Similia reperies apud Brun. IV. 4. Besold. 5, 19. Jac. Martin. II. Polit. 30. p. 915. z) De non violandis Legatis difficilior est quæstio, & variè à claris hujus seculi ingeniis tractata, Grot. n. 4. Hæc de re nihil est neq; magis lubricum, neq; magis abruptum, quàm præcepta tradere, Paschal. sub fin. c. 27. Quem & initio c. 74. vide.*



bes distinctionem inter crimen *manifestum & occultum*, seu *certum & incertum*.)

§. 124. Mox ad verba: *Qvare omninò ita censeo: Ego ita censeo, delicta leviora dissimulanda esse.* (Altera distinctio inter delictum leve & atrox.)

§. 125. Pergit: *Propter atrociora, qvæ principaliter in privatorum vergunt injurias ac damna, remittendum esse Legatum ad eum qui misit, cum elogio & postulato, ut vel puniatur, vel dedatur: propter ea vero, qvæ directò statum aut dignitatem imperantis ledant, non puniri tantùm posse legatum, sed etiam occidi ab ipso illo Principe, ad quem missus est.* (Tertia delicti distinctio ab objecto primario, quod est vel *privatus*, vel *ipse imperans*.)

§. 126. Denique ad verba: *qvæsi extra territorium: Id certum est, Principem in alterius territorio consistentem suam adhuc retinere majestatem, nec propter discessum ex provinciâ suâ alterius fieri subditum. Idem dicendum est de ejus Legato. At quando Princeps ille hostilia molitur in alterius territorio, & populum in conspirationes ac seditiones concitat, dubium apud me nullum est, & capi eum & posse occidi, non quidem ut subditum, sed ut hostem.* (Quarta distinctio inter *subditum & hostem*.)

§. 127. Nunc his veluti faculis distinctionum adjuti tentemus exitum reperire tenebrôsæ quæstionis. Sed eam ante omnia dividamus. Id primò controvertitur: *Qvibus delictis excidat Legatus sanctimoniâ corporis sui? Deinde: Qvovs q; excidat? seu adeo: Qvæ vindiciæ delictis ejus opponi jure possint?*

§. 128. Circâ priorem observa, sicuti non disceptamus h. l. de delicto Principis mittentis (a), sed Legati, ita nec de delicto Legati in solum Principem mittentem. De quæstione sic intellectâ tres sunt sententiæ. Quarum una ex *omni cujuscunq; formæ delicto* privilegium securitatis abjudicat Legato; altera ex *nullo*; tertia, non ex *omni tantùm*.

§. 129. Primam opinionem Grotius ita circumloquitur: *De personis alii ita sentiunt, jure Gentium vim duntaxat injustam à Legatorum corporibus arceri. Censent enim, privilegia ex jure communi*

a) fiet hoc infra §. 192, & seqq.

secatur in  
duas partes:

Qvarû prior:  
Qvo delicto  
Legatus desinat  
esse in violabilis?



*interpretanda.* Neminem citat exerte. Sed vix dubium, quin tangat inter alios Autorem, quisquis est (b) *Quæstionis veteris & novæ, qui p. 35. sic ait: Ultriusq; juris regula movent, privilegia ita esse interpretanda, ut jus commune non ledatur.* Mox p. seq. ad Legatum hoc applicat: *Cum ergò Legatus delinquens juris gentium debitor fiat, ejus privilegium ipsum nullo pacto poterit excusare, quo minus publico nexu se liberet, & debitum, pœnas scil. persolvat. Jure gentium sanctus habetur, Jure gentium quoq; delinquens obligatur ad pœnam. At illud est privilegium, hoc jus commune, atq; adeò meritò illud huic cedit, & ita interpretatur, ut hoc non ledatur.*

§. 130. Verùm juribus Legati valdè iniqua hæc est sententia, dum omne delictorum discrimen æquat. Cui meritò opponas illud Grotii (c): *Verius est, privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quod si Legati ab injustâ tantùm vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui.*

§. 131. Eadem confusione peccat *secunda* sententia, sed dum legato indulget gravissimorum etiam flagitiorum licentiam, in alterum latus nimis deflectens. Eam tuetur Franciscus le Vayer c. 6. de Legato (d), dum ait, impune legato licere, *sive per fas, sive per nefas, quicquid sibi à Principe mandatum est, exequi ac perficere (e).*

§. 132. Dices: aliquam tamen delictorum distinctionem hîc subesse, ut alia Legatus in mandatis habeat à suo Principe, alia non habeat. Esto. Sed nos §. 128. de *formis* loquebamur delictorum, non de *efficientibus* causis. Hæc distinctio ad efficientem pertinet. Nam quæ peccat Legatus, aut solus peccat, injussu puta principis sui, aut unâ cum principe, quem facti habet autorem.

§. 133.

b) Citant hoc scriptum Keckerm. I. Syst. Pol. 24. p. 387. Bortius & Gryphiander ubi supra §. 122. Besoldus p. 5. & 60. Sed neminem vidi, qui nomen auctoris revelaret. Et verò habuit ille causam latendi. Nam & privilegio Legati omne penè robur adimit, (vide infra §. 144.) & quæstionem, quæ juris est gentium, p. 18. & passim ad juris civilis decreta perperam exigit, Jctis tamen p. 54. vicissim absentiens, ubi minus ipsi commoda proferunt. c) de quo plura infra §. 182. d) citante Besoldo §. 20. p. 51. Fuit hic autor Advocatus Parisiensis teste eod. Bes. p. 3. Cum eo Kirchnerum in hæc sententiâ conjungit Bortius p. 120. e) Plura infra §. 172.



§. 133. Cæterùm iniquitatem ipsius sententiæ facilè monstrabunt ac disjicient ea, quæ §. 126. è Dn. Zieglero descripsimus.

§. 134. Nec audiam, si quis hanc effrenem licentiam saltem *hostis* Legato permittat, illudqve Virgilianum huc trahat II. Æn. v. 390. *dolus an virtus quis in hoste requirat* (f)? Exiit enim hostem, qui Legatione fungitur (g). Et ipsi Legationi tacita inest fides, quæ omnem fraudem exesse jubet. Quod si maximè donemus, licere hoc tali Legato, licebit vicissim dolum vel cæde fallentis compensare: nam & hoc præmium scimus talibus artibus jure bellico destinari. Quare nihil sic obtinebitur contra temperamentum securitatis Legato debitæ.

§. 135. Omninò abducenda hîc sententia est à duobus extremis, & mediâ quâdam viâ insistentibus pronunciandum, quæ *tertia* erat opinio, nec omni delicto jus tutæ Legationis perimi, nec nullo. *Non omni*, ne Legatum detrudamus ad scabella vulgarium peregrinorum, *Neq; nullo* tamen, ne cuius flagitio aperiatur fenestra.

*Respondetur:* §. 136. Quod ergò tandem genus delicti Legatum privilegio securitatis exuet? Brevissimè planeqve ad mentem Dn. Ziegleri, (1.) *manifestum*, idqve (2.) *atrox*.

*manifesto,* §. 137. Prius illud, ut *manifestum* h. e. *certum* sit crimen, etiam illi concedunt, qui aliàs vel ex levibus delictis legatum subiciunt pœnæ (h). Sanè verò, si ne vulgaris quidem peregrinus puniri potest, nisi de culpâ prius sufficienter constet, quântò minus hospes tam nobilis?

§. 138. In hoc ergò Legatus nihil eximii habet. In eo habet, quòd, si incerta sit culpa, inquisitione molestari non potest. Quòd cæteri peregrini possunt, inde est, quia Principi, cujus ditionem implent,

f) Hoc dicto Legatorum scelera defendi à quibusdam disco è scriptore Q. vet. & novæ p. 48. g) supra §. 46. x. h) Autor Q. vet. & nov. p. 46. *Cùm supra monuerimus*, (respicit ad p. 30.) *circumspectè admodum in re tanti momenti agendum, ac tùm demum in Legatum reum manus injiciendas, & Legum auctoritatem exercendam, cùm aut scelus notorium est, aut probationes adeò manifestæ, ut nulli suspicioni calumniæ oppressionisve locus relinqvatur: non est, quòd magnoperè moremur exterarum gentium eâ de re iudicium famamqve.*



plent, pares non sunt, inferiores igitur, h. e. subditi. Legatum verò subditum esse negavimus: porro subditum suspensiones meræ face-  
re non queunt.

§. 139. Etiam in eo, quod *alterum* proferebamus, Legatus est *eo quidem*  
eximius, ut esse tutus non desinat, nisi delictum sit *atrox*. Vulga- *atroci.*  
rem enim (peregrinum etiam levis noxa in carcerem trahet. *Atrox*  
delictum voco seu grave, quod lex naturæ capitaliter punit; *leve*,  
quod mitius.

§. 140. Ut leve delictum Legato securitatem relinquat, svadet  
veneratio tum *personæ* debita, quam repræsentat, tum *paci* publicæ,  
cujus ipse tam nobile instrumentum est. Grave condonari dissva-  
det tum eadem *pax* publica, quam necesse est perturbari, si legatis  
utrinque omnia liceant, tum *æqualitas* Principum, ne deterior sit  
ejus conditio ad quem itur, quam mittentis, si alterius Legato gra-  
viter peccante, peccantem alter coercere non debeat. Respice ad  
§. 120.

§. 141. Vides temperamentum Pacis & Æqualitatis. Quod  
in privatorum quoque congressibus observare licet. Ubi Paterfa-  
miliæ ad vicini leves noxas connivet, ne dissvatur amicitia pretio-  
fior; in gravibus jure utitur suo, ne regno domestico exturbetur.

§. 142. Sunt, qui ex eo, quia Legatus jure gentium censeatur  
sic differant: eum, si *contra jus gentium* peccet, teneri, si non peccet,  
non teneri. Ita sentiunt Bortius & Gryphiander. Verum hæc distin-  
ctione rectius hinc abstinetur.

§. 143. *Primò* enim difficultas maxima est, (ipsius rei, an scri-  
bentium culpâ, non definitio,) quando dicatur Legatus contra jus  
gentium egisse. Quod vel hinc æstimes, quod Besoldus statim ubi  
hanc ipsam effundit querelam (*i*), negat, puniri Legatum posse, si  
Principi, ad quem missus est, maledixerit, quasi nullum sit in Lega-  
to jure gentium peccatum lingvæ, quod ego quidem non dixerim  
(*k*). Ita Bortius negat jure gentium teneri Legatum, si in Princi-  
pem conjuraverit, modò conjuratio ne sit in actum deducta. Ubi  
omninò verior est sententia Gryphiandri affirmantis (*l*).

§. 144. *Deinde* vix est, ut hæc distinctio Legatum levet ultra  
E fortem

i) c. 5, n. 24, p. 63.

k) Vide §. 148. 149.

l) vide §. 154, a.



sortem vulgarium peregrinorum, quos vel ex levi in privatum delicto puniri posse constat. Itaque scriptor Q. veteris & novæ cujus iniquitatem supra §. 130. accusavimus, Jus gentium à Legatis p. 25. violari ait, non modo si contumeliosè edant mandata ad Principem, ad quem ablegantur, sed etiam, *si injuriis privatos ejus subditos afficiant (m).*

§. 145. Atque hinc interpretor illud Grotii (n); de jure gentium quod dicitur, satis latè patere. Nam, inquit, *in jure gentium jus nature includitur, ita, ut ex omnibus delictis puniri jam Legatus possit, nisi quæ ex mero jure civili oriuntur.*

§. 146. Acquiescamus ergò potius in distinctione inter delictum leve & grave: quæ & Grotius utitur. Sed quæ ipse in priore membro confusè tradit, nos hîc distingvamus, si non ex ejus (o), saltem ex nostrâ sententiâ.

§. 147. Ait ille: *Si tale sit delictum, quod contemni posse videatur, aut dissimulandum erit, aut è finibus jubendus excedere Legatus.* Dissimulandum, inquam, si leviter in *privatum* commiserit; abitio mandanda, si leviter in *Principem*. Videmur enim omninò leve quoque delictum his modis rectè subdividere posse.

§. 148. Sed quodnam Legati delictum in Principem alienum vocabitur leve? Si speculatorem agat, si lingvâ procaciter abutatur ad maledicta, ad minas (p). Quamquam enim hæc, si tentet subditus, atrocita sunt; alia tamen Legati est ratio, qui par habetur, non subditus.

§. 149. Itaque si quid hujusmodi peccet Legatus, patiar quidem ipsi, nisi fortasse crimen exasperent circumstantiæ, salvam esse corporis securitatem, (de hæc enim solliciti sumus,) sed non intercedam,

m) Sic p. 16. ad Legatos trahit illud juris communis: *ibi quemq; conveniendum, ubi deliquit, vel ubi reperitur.* Additque: *Quod si ex delictis (parva intelligit,) conveniri possunt Legati: quanto magis ex criminibus (magnis?)* n) n. 4. ubi quidem hanc sententiâ distingvit ab eâ, quæ privilegium Legati interpretatur ex jure communi. Sed è dictis patet, has duas facillimè in unam coire posse. o) de Grotii mente judicium fieri poterit è dicendis §. 185. seqq. p) distingvere hîc solent libertatem dicendi à lingvâ contumeliosâ. Vide Alb. Gentil. II, 20, p. 140. 141. & Borr. p. 124.



cedam, quò minus abire jubeatur absq; responso (q), h.e. è duobus juribus, *securitatis & responsi* (r), alterum servasse judicetur, alterum, quod ipsum quidem pretii minoris est, perdidisse.

§. 150. Et quidn̄ *committendo* jus responsi amittat Legatus, cum vel solâ officii parvi *omissione* amittere hoc idem censeatur? Rectè enim Romæ quondam Illyriorum Legatis, cum non adissent Magistratum, ut sciretur, venisse eos, & super quâ re venissent, de quibus hoc appellati hæsitarent, (suspicio erat speculatores esse,) *ut curiâ excederent, dictum, responsum tanquam Legatis, ut qui adire Senatum non postulâssent, dari non placuit* teste Livio Lib. 42. c. 26. (s).

§. 151. Demonstratum est hætenus, non nisi ob atrox crimen *Posterior pars* sanctimoniâ suâ excidere Legatum. Succedat *altera* quæstio: *controversia*: *Quousq; excidat?* seu adeo: *Quanam ejus flagitio tali possint opponi vindiciæ?* Possint, inquam, *jure stricto*, ne quis hîc à nobis regulas prudentiæ (t) expectet. *Vindicias* autem cur nominaverim potius *Quanam ejus flagitio possint opponi vindiciæ?* quàm *pœnam*, apparebit postea §. 159. 160. cum eas distinxero. Nunc ante omnia, ut Quæstioni satis fiat, atrox Legati delictum subdividamus non cum Grotio (u) in *publicum inerme & armatum*, sed cum Zieglero (x) in *privatum & publicum*. *ubi distinguitur inter delictum.*

§. 152. Utrique definiendo nihil aptius est verbis exquisitissimi Animadversoris, ut *privatum* sit, quod principaliter in privati vergit injuriam; *publicum*, quod directò statum aut dignitatem imperantis lædit. *Illius exemplum esto cædes hominis privati; hujus, Conjuratio in Principem, ad quem Legatus est missus.*

E 2

§. 153.

q) De *Speculatore* Legato vide Alb. Gent. l. 4. p. 74. König §. 45. Befold. p. 62. De *maledico & intemperantis* linguæ eundem Albericum II. 20. Befold. p. 63. 64. Bort. supra §. 84. y. r) respice ad §. 61. p. s) probat factum Alb. Gentilis II. 2. Cui tamen non assentior hos Illyrios illis accensenti, qui Legationem mentiantur. Ementitam Legationem distingvere debebat à dolosè susceptâ. t) Non est novum, ut jure stricto quis cedat ex dictamine prudentiæ *practico*. Rem intelliges è §. 69. in fin. Est & aliud hîc prudentiæ dictamen *theoreticum* in consultando, quod ipsum quoque à jure distingvit Grotius n. 4. *Sunt, inquit, qui putant, consulendos Reges aut Gentes, quarum nihil interest, quod prudentiæ esse potest, juris esse non potest.* u) Rem intelliges è collatione §. 166. 187. & 191. x) supra §. 125.



§. 153. Distinctionem hanc Besoldus ita eloquitur, ut aliter delinquere Legatum dicat contra *hominis*, aliter contra *Legati officium* (y). Dum de sensu conveniatur, verba possum tolerare. Sed nisi fallor, *privati publicique*, criminis longe manifestiora sunt vocabula (z).

§. 154. Nonnulli distinguendo hac ulterius progressi crimen *attemptatum à consummato* separant (a), ut Legato veniam ipsius quoque *conjuratōnis* impetrent, modò ne sit ea consummata, h. e. ad insultum deducta (b). Verùm si crimen atrox est, (quis autem neget, hoc nomen in conjurationem competere?) nulla distinctio in id prodesse Legato flagitii talis manifesto debet, ut sacrosanctus maneat (c). Quomodo autem potest Legatum non exuere, qui hostem induit (d): cum certum sit, hostem ab eo exui, qui induit Legatum (e)?

§. 155. Interim gradus auferendæ ipsi securitatis pendebunt ex eo, si atrociter peccaverit vel in *privatum* vel in *Principem*. Priore casu recidet in statum *subditi*; posteriore *hostis* reputabitur. Hic nempe

y) c. 5. n. 21. p. 62. Quid autem, si ita distingvamus: Legatum ejusque comites contra officium hominis delinquentes, adulterium puta, homicidium vel simile delictum perpetrando, remitti ad Principem suum debere. Vide tamen Alb. Gentilem hic lib. II. c. 19. Sin autem directè contra Legati officium quid admittant, quod non puniret mittens, tunc in eos, ut in hostes animadverti, jureque belli servare licere? z) Besoldinæ distinctionis obscuritas illustrabitur §. 157.

a) apud Besold. d. l. b) Ita Bortius, de quo supra §. 143. Credas eum ab Alb. Gentili deceptum, qui mirabiliter hic philosophatur. Volo, inquit II. 18. p. 134. Legatum interfici dedisse, si etiam levissimam injuriam intulerit principi: at injuriam assumpto actu. Quis non credat hæc de actu etiam conjurandi valere? Veruntamen toto illo capite id agit Albericus, ut conjuranti Legato parcatur. Quæso quamobrem? Quia conjurationem, quantacunque est, intrà se positam negat esse delictum *consummatum*: imò etiam, si arma simpliciter quis ceperit, modò nondum fecerit insultum, ut clarum est è c. 21. p. 146. Scire debebat, actu externo injuriam Principi fieri etiam conjurando, non obstantibus actus hujus labibulis. Nec enim frustra injuriam Ethici partiuntur in *manifestam & clandestinam*. Scire debebat, in ipsa quoque conjuratione latitudinem esse actus *inchoati & consummati*. Plura in ipsum animadvertemus §. 175. seqq.

c) Adde infra §. 167. 168. d) Marsel. II. 13. p. 358. Si velit offendere, jam munus ipse suum exiit, & violat. Et p. seq. Desinit esse Legatus, qui esse proditor incipit. e) supra §. 46. x.



nemp̄e usus est quartæ distinctionis, quam è Viro magno repetebamus §. 126. Aliâ viâ rem expedire tentat Albericus Gentilis (f), sed eam ipsi relinquimus.

§. 156. Cur ex Legato subditus fiat, ubi privatum; non subditus, sed hostis, ubi principem atrociter violaverit, inde conficiam, quia secundum ea, quæ plerumque fieri solent, præsumuntur injuriæ, si privatum quidem petant, cum causâ vel emolumento mittentis Principis non esse conjunctæ; esse, si Principem ipsum alienum. Ergò cum peccans Legatus utroque modo privilegium amittat, censebitur priore casu in statum personæ propriæ, h. e. subditi remigrare; posteriore, partes quidem adhuc agere sui Principis, sed ut ejus, qui hostilia moliens fidem hospitalem sceleratè fregit. Age verò, putemus Legatum in excitandâ v. g. rebellione non Principi mittenti, sed suæ libidini obsecundâsse: nihil tamen est causæ, cur non in eum, ut in hostem publicum potius, quàm in subditum peccantem animadvertatur.

§. 157. Ex his lucem quodammodo capiet illa Besoldi, quam §. 153. ponebamus, alioque subobscura distinctio (g), cum aliàs contrâ *hominis*, aliàs contrâ *Legati* officium delinqui diceret. Contrâ *hominis* puta, cum Legatus in suam se personam retrudit peccando; contrâ *Legati*, si Principis sui causam sic agat, ut Legatione directè contrâ finem ejus abutatur (b).

§. 158. E statibus duobus, in quos Legatum, jam hoc nomine indignum, atrocitas delicti præcipitat, *vindictiarum* quoque describenda est varietas. Ex *privato* enim delicto, quia *subditus* esse cœ-

E 3

pit, mit-

f) II. 21. sub init. *Si in Principem quid secius commiserit, diximus Principis arbitrium futurum, quàm illi irroget pœnam. In alios si peccaverit Legatus, de ejus pœnâ statuere non facio arbitrium. Nec est tamen iniquitas, si jus hic statuamus retaliationis.* g) Rectius Besoldus, qui distinguit, (quanquam de mente sic distinguentis adhuc dubitare licet per dicenda §. 161.) quàm alii, qui ita differunt, quasi promiscuè quicquid Legatus peccat, absque sui Principis mandato peccet, eoque ut privatus peccet. Scriptor. Q. vet. & nov. p. 47. *Cum sine mandato deliquerit, non ut Legatus, sed ut privatus deliquisse intelligitur, atque adeo ut privatus punitur.* b) Aliud est Legatione abuti in alium finem, aliud contrâ ipsissimū Legationis finem, qui est concordia Rerump. & tranquillitas publica. Illud fieri dicemus, cum privatum lædit Legatus, hoc cum in statum Reip. ad quam missus est, peccat.



pit, mittetur ad Principem suum, & vel puniri vel dedi postulabitur; *ex publico*, quo se pro Legato gessit *hostem*, optimâ cum ratione ut hostis tractari, h. e. absque ullo strepitu fori brevissimâ quavis viâ vel interfici poterit (i). In utroque valdè similia nobis, non tamen eadem planè sentit Besoldus (k).

§. 159. Prius illud vindiciarum genus tendit ultimò in *pœnam* propriè dictam; posterius in *defensionem* nostri. Pœnæ potestas superiori convenit versùs inferiorem, Principi versùs subditum. Jus autem defensionis pari damus versùs parem, hosti versùs hostem.

§. 160. Atque hanc ob causam *vindiciarum* vocabulo maluimus hîc uti §. 151. tanquam generaliore, quàm *pœnæ*. Non enim omnis retributio, quâ Legati grave coercetur scelus, pœna est, nisi puniendi vocem amplius. Quâ in re cautior fuisse nobis Grotius (l) videtur, quàm scriptor quæstionis veteris & novæ (m).

de privato expenditur sententia Besoldi;

§. 161. De pœnâ, quàm *privatis* delictis mereri diximus Legatum ita disserit Besoldus, c. 5. n. 21. *Licet sortiatur quis jam ditto modo forum in loco delicti: tamen in contemptum Domini sui vergit, (cujus utpote personam repræsenterat,) ut alibi puniatur (m)*. Ratio hæc non satis placet. Legatus enim, violando privatum, personam Principis per §. 156. desit repræsenterare.

§. 162.

i) supra §. 125. k) supra §. 153, y. Discrimen in eo est, quòd de Legato dedendo tacet. Quod per §. 162. non ad eò magni est momenti. Etiam illud facilè emendes, quòd distinctionem suam non ex professo profert per modum subdivisionis atrocium delictorum, Besoldo hîc & Grotium addidissemus, nisi atrocita delicta hic planè aliter esset partitus, quàm res exigebat. Textus ejus dabuntur infra §. 187. 191. l) Quamquam enim n. 4. pœnæ vocabulum adhibet subinde, tamen & alicubi à præcautione ac defensione (infra §. 191.) pœnam distingvit. (m) Is enim passim & absque delictorum discrimine Legatum pœnæ subicit. Vide supra §. 129. & adde p. 14. 15. ubi & mentio tramitis judiciorum (quorum quidem mirabilem processum instruit Paschalius c. 74. p. 443. 444.) Hinc & vim omnem justam, quæ Legato infertur, *puniendi*, ut quæcumque injustam *violandi* vocabulo designat, cum p. 33. 34. longè aliud esse ait, *Legatum violare, aliud Legatum punire: hoc enim includit & innuit præcedens delictum, illud injuriam*. Quæ totidem verbis & Besoldus fecit sua c. 5. n. 19. p. 61. qui tamen n. 16. & 18. necessitatem quoque & jus *defensionis* habet in calamo. m) conf. Dn. Feld. ad Crot. p. 392.



§. 162. Sequitur apud Besoldum: *Quod & civile magis est,* (puta, ut Principi suo puniendi potestas deteratur) *nec ratione caret.* Legatus enim non est planè ut alius peregrinus, duplexq; privilegium quasi habet, ex propriâ, & ex Domini sui personâ. Delinquendo non præjudicat Principi suo, (si ipso inscio & invito fiat,) privilegium Domini & patriæ suæ non admittit per scelus, nec delictum ejus manet impunitum, cum mittatur ad Dominum suum ab eo puniendus. Nec item infreqvens est, ut quis propter dignitatem haud forum sortiatur in loco delicti, tot. tit. C. ubi Senator. vel Clariss. In his illud pulcherrimè, quòd Legatum ultrà sortem communis peregrini sic evehit, ut etiam vestigia quasi privilegii jam decocti discrimen aliquod exhibeant in pœnæ modo statuendo. Cæterum quòd hic etiam, ut supra §. 153. y. deditiois postulandæ prorsum obliviscitur, non improbo quidem vehementer: maneo tamen in sententiâ, ut jus sit alternativè petendi aut pœnam, aut deditioem.

§. 163. Enimverò videtur hoc pacto maximè servari, quam toties prædicavimus, Principum æqualitas, si puniendi talem Legatum par utriqve Principi, (nam & in utrumqve peccavit) relinquatur potestas.

§. 164. Porrò cum hoc ipsum duobus fieri queat modis: uno, si is, in cujus territorio peccatum est, fontem teneat in vinculis, donec alter eum vel avocet ad pœnam, vel hunc subditum abdicare se testetur; altero, si remittat cum postulato dedendi puniendivè: posterior hic modus, utpote civilior, magis facere alendæ paci videtur (n).

§. 165. Eundem & alia svadet ratio. Cum enim Legatus talis Principem alienum in subdito tantum ejus, suum in impositâ sibi, sed sic per summum dedecus turpatâ personâ, h. e. illum, ut ita loquar, in pede, hunc in capite læserit: æquum est, ut quem sublimiùs læsit, ei liberior optio deferatur puniendi.

§. 166.

n) præsertim cum soleant generosiores ne pœnam quidem aut deditioem flagitare, sed quicquid apud se petulanter actum est, dissimulare. Ubi tamen mutux civilitatis est, ut ultroneâ severitate in prævariatorem hujusmodi animadvertat suus princeps. Exemplum in Ottone Brüggmanno ætas nostra tulit. De quo è Persicis Olearii consuli potest Erasmus Francisci Histor. LIV. des Hohen Trauer-Saals.



§. 166. His ambagibus ac ceremoniis opus non est in atrocibus delictis *publicis*. Quorum aliud *inermis* adhuc est, ut si Legatus ad seditionem aut proditorium scelus inclinet animos subditorum, si conjuret ipse, aut conjurantibus consilio adsit; aliud *armatum*, puta si durante Legatione (o) cum rebellibus aut hostibus gladium educat, aut comites suos contra statum publicum armet. Ut verborum compendia faciamus, casu priore Legatum *conjurantem* vocabimus, posteriore *militantem*.

§. 167. *Conjuranti* Legato sunt qui parci debere sic putant, ne interficiatur. Quorum argumenta §. 174. & seqq. Iustrabuntur. Hic satis est causam cur ab iis dissentiamus, exponere. Hostem se gerit alienæ Reip. Legatus non militans modò, sed & conjurans. Injuria ergò ipsi non fiet, si modis iisdem excipiat, quibus hostis solet. Tantum illud hinc vi §. 137. requirimus, ut *manifestum* sit crimen.

§. 168. Neque refert, conjurationem illam adhuc esse *inermem*: nisi putemus, nefas quoque esse dormientem hostem opprimere, aut inter molimina certa deprehensum prævenire (p).

§. 169. Imò plus dicam. Si Legatum patrato, quale diximus, flagitio contigerit salvum ad suos evadere, jure Gentium, uti datur, posci simpliciter potest: quomodo Galli Fabios, cum legatione nondum defuncti ante signa Clusinarum pugnavissent, dedi sibi à Romanis postulavere (q). Quod ad conjurantes etiam Legatos trahere non dubito.

§. 170. Causa cur severius agi queat cum Legato tali, quam cum hoste simplici, (quis enim hunc, si fuerit elapsus, dedi oportere dicat?) hæc est, quòd Legatus hostilitatem suam cum sui nominis maximo abusu (r) per summum scelus contra jus gentium exercuit.

similiter expenditur sententia

§. 171. Nunc Patronos talium *Ὁπαγοῦσθε Βευρωῶν* videamus. Qui quidem id agunt omnes, ut eos post facinus admissum incolumes

o) æstimandum hoc è §. 110. p) Adde, quæ jam occupavimus §. 154. q) Liv. lib. V. c. 36. expressè addit: *Senatui nec factum placebat Fabiorum, & jus postulare barbari sidebantur.* Vid. & Besoldum §. 22. p. 63. Plutarchus in Camillo f. m. 128. unius hinc tantum Legati peccantis meminit, r) supra §. 157. h.



lumes reducant in patriam, sed itineribus diversissimis. *Alius* enim culpam ab illis omnem transfert. Fatetur aliquam *Albericus Gentilis*, sed extenuat. *Hugo Grotius* gravem esse non negat sed gravitatem hanc elevari vult privilegio. *Tres* ergò, uti vides sunt viæ.

§. 172. *Qui primam* insistant, nullum Legati scelus publicum excipiunt, id exigunt modò, ut ejus à suo Principe habuerit mandatum. Hoc enim casu vitium omne Principi transcribunt, cum eo experiri jubent, Legatum indemnem dimitti. Ita sensisse videtur (s) *Franciscus le Vayer*, de quo supra §. 131. d. retulimus è *Besoldo & Bortio*, qui quidem ab ipso rectissime discedunt. Ejus enim culpæ, cujus ministerium recusare & poterat & debebat, omninò se participem fecit Legatus annuendo & exequendo.

§. 173. Quòd si quis immanissimæ opinioni præsidium quærat non tam in translatione culpæ, quàm sublimitate privilegii: respondebitur, duo sic maxima sequi absurda. Nam & Legato plus licet in alieno solo, quàm ipsi ejus, si adesset Principi, per §. 126. & contrà minus poterit in suâ ditione Princeps, quàm in domo suâ Paterfamilias, qui, si turbulentum hospitem remediis pro tempore asperis compescat, jus illi suum reddere, non hospitii frangere sanctimoniam existimatur.

§. 174. In alterâ viâ *Albericus* (t) *conjuranti* tantum Legato hætenus patrocinator, ut vitam ei servet. *Causam* sic orat II. 18. p. 132. *Peccatur in jus gentium graviter, si in vi repellendâ supra quàm oportet, enitamur. Sed Legatum hunc interficiendo longè magis, quàm est necesse savitur: abire enim illum Princeps jubere potest. Igitur non est interficiendus. Mox responsionem ipse sibi auguratur, & diluere tentat: Nec mihi quisquam dicat, eam Jctorum definitionem privatis stare hominibus, non regibus;*

s) Huc referas & vocem Legatorum Justiniani: *Si Legatus ea dixerit, quæ audit à Principe, qui ipsum misit, ea si non sunt commoda, prestare non ipse debet culpam, sed qui eum misit, ipsi quæ ipse nihil aliud concessum est, quàm ministerio mandato fungi.* Sonat ea quidem de Verborum injuriis. Sed, ad culpæ translationem quod attinet, par est ratio graviorum criminum. Probat illam tamen *Grotius* not. ad §. 4. p. m. 279. & *Besoldus* §. 24. p. 64. Sed improbat *Alb. Gentil.* II. 20. p. 140.

t) cujus fundamenta quædam supra jam discussimus §. 154. b.



bus; Nam stat equaliter omnibus juris gentium ratio: & quæ ratio est privati hominis ad privatum, ea est proculdubio publicæ personæ ad personam publicam, & Legati ad Regem, quia Legatus quoque Principis personam gerit.

§. 175. Fateor istâ responsione Alberici argumentum non frangi. Hoc ergo reponam potius: non esse majorem justo sævitiam, si hostis interficiatur, tam abnormis præsertim, qualem depinximus §. 170. Ipse Albericus initio capitis p. 130. quæstionem de Legato conjurante *criminis magnitudine omnibus præire* dixerat. Ipse p. seq. Livium probaverat; qui tamen hoc etiam profitetur, disertè, Legatos tales *videri commississe ut hostium loco haberentur* (u). *Quæ enim* (ut iterum Alberico sua verba reddamus è c. 13. p. 116.) *est differentia, armis apertè an dolis nocitum sit?*

§. 176. Quod in Alberici solutione ultimum erat, hunc habet, nisi fallor, sensum: ut privato non licet hospitem in se conjurantem interficere: ita nec Principi legatum alienum. Verùm, hoc est abuti comparatione alioqui perquam utili. In quâ non frustra monuimus §. 84. proportionem servari oportere. Quod Albericus non facit. In privatum conspirare culpa est, in Principem piaculum. Judicem in terris supra se habet privatus, Princeps non habet.

¶ Hugonis  
Grotii.

§. 177. Tertiam viam dedimus Grotio. Quem hinc magis prolixum quam perspicuum, illustrare, saltem quod ad summam rei attinet, sed cum libertate dissentiendi, conabimur.

§. 178. Cùm in hoc argumento, quousque gentes consenserint, è solis exemplis evinci haud posse, non malè (x) monuisset, recurrendum sibi tum ad *Sapientum judicia* putavit, tum ad *conjecturas*. Sapientum judicia quancquam per §. 73. satis tuta non sunt, inspicere tamen oportet, ut de mente Grotii planius constet nobis. Ipse duo profert.

§. 179. Prius è Livio (y) de Legatis Tarquinii, qui proditio-  
nem concitaverant: *Quancquam visi sunt commississe, ut hostium loco  
essent,*

u) vide infra §. 179.

x) recurre ad §. 69.

y) lib. II, in fine cap. 4.



essent, jus tamen gentium valuit. Nihil addit Livius, sed è præcedentibus æstimatu facile est, non durius cum Legatis actum, quàm ut expellerentur. Grotius in genere tantum hoc elicit: *etiam ad eos, qui hostilia patrant, jus gentium extendi.*

§. 180. Ex altero Sallustii (z): *Fit reus magis ex æquo bonoq, quàm ex jure gentium Bomilcar* (comes Legationis, cum Massivam per sicarium obtruncavisset,) ita concludit Grotius: *Quare ut rei fiant Legati* (ipsi, multò magis) *contra jus est gentium.*

§. 181. Sic ergò sentit, 1. Legatos inviolabiles esse, etiamsi *patrent hostilia*, 2. *reos fieri non posse.* His probandis cum sapientum præjudicia deprecati fuerimus, videamus, quantum robur afferant Grotii *conjectura*, h. e. rationes ἀτεχνοι, quas ipsas quoque duas numerare licet.

§. 182. Primò inquit: *Verius est, privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quòd si Legati ab injusta tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui.* Ita est, sed ex hoc tantum in genere sequitur, perperam sentire, qui ob quodvis delictum Legatos violabiles faciunt (a): nondum sequitur, etiam hostilia patrantes inviolabiles esse. Ad sustinendum autem ultra jus communium viatorum privilegii nomen, (b) sufficit, quòd Legati per §. 94. l. bello deprehensi retinent libertatem; quòd per §. 102. nisi peccent, attineri non possunt; quòd per §. 105. t. violatres eorum crimen læsæ majestatis committere judicantur; quòd per §. 138. inquisitione criminis incerti gravari non queunt; quòd per §. 139. ex delicto non nisi atroci securitatem amittunt; quòd per §. 162. nihilominus etiam hoc in casu, velut extrà locum delicti, modò privatim deliquerint, constituuntur.

§. 183. *Alteram conjecturam Grotius arcessit ex eo, quòd securitas Legatorum utilitati, quæ ex pænâ est, preponderat.* Pro hâc ipse mox operosius laborans longam differendi materiam præbet. Sed amore brevitatis hoc unum reponem⁹: *minimè omnium præ-*

F 2

sumi

z) Bell. Jugurth. p. m. 88.

a) igitur Grotianum hoc scriptori Q. vet. & novæ opposuimus

§. 130.

b) de quo in genere §. 30. & 37.



sumi posse, quòd gentes voluerint, ut securitatem Legatorum hostilia patrantium, (de his enim controvertimus,) h. e. in juris gentium sceleratissimâ violatione versantium, Princeps anteponat utilitati pœnæ, ut Grotius loquitur, ut nos interpretamur, securitati justæ suæ, cuius interest, hostes hostiliter excipi. Nisi hoc statuamus, insignis erit principum *inequalitas*; adhæc ingens porta *turbandis* Rebus. aperietur, dum per Legatos licebit, quod per emissarios intutum est.

§. 184. Transilimus cætera. Illud omittendum non est, ubi jam ex delictorum varietate Grotius opinionem suam distingvit velut in *tria* effata.

§. 185. Primum: *Si tale sit delictum, quod contemni posse videatur, aut dissimulandum erit, aut è finibus jubendus excedere Legatus, quod Polybius ei factum narrat, qui Romæ obsidibus fugiendi causam, præbuerat.* Sitne adeò leve hoc delictum, uti Grotius putat, ambigo. Quicquid tamen sit de exemplo, effatum ipsum non improbare nos, si dextrè explicetur, suprâ patuit §. 146. 147.

§. 186. Alterum: *Si crimen sit atrocius, & ad publicum malum spectans, mittendus erit Legatus ad eum, qui misit, cum postulato, ut eum puniat, aut dedat, quomodo Gallos postulasse legimus, ut sibi dederentur Fabii.* Hæc multis nominibus merentur censuram.

§. 187. Initiò cum certum sit Grotium loqui tantum de Legato *conjurante*, (militantem enim effato demùm tertiò vocabit ad partes,) non satis hæc consentiunt cum iis, quæ ex Livii præjudicio sanxerat suprâ §. 179. Ibi Legatos Tarquinii excitatæ proditionis manifestos tantum pepulerunt Romani. Hic pœna insuper aut deditio postulari jubetur. Vel ergò secum ipse dissidet Grotius, vel prior loco tenebrosior est, quàm legentium referebat. Quis enim è loco Livii comprobato, è quo eandem Legatorum causam ante Grotium defendit Albericus (c), non suspicetur, idem Grotio placuisse, quod Alberico, qui talem Legatum dimittit, de puniendo dedendove ne hincit quidem. Nam quòd alibi (d) deditio meminit, intelligendum de crimine, quod sit conjuratione atrocius (e).

§. 188.

c) ubi suprâ §. 175.  
§. 154. b.

d) II. 13. p. 115. & c. 19. p. 135.

e) per



§. 188. Deinde non assentior Grotio, si tantum conjuraverit Legatus, ultra missionem ejus cum postulatis, ut auditum est, procedi non posse. Esto hic terminus, ubi *privatum* Legati scelus ulciscendum est. In publico has ambages stricti juris esse nego per causam §. 167. expositam. Ipse Grotius paulò post in casu necessitatis retineri talem Legatum & interrogari permittit.

§. 189. Porro peccat in eo vir magnus, quòd atrox legati delictum nullum esse putat, nisi sit idem publicum. A deone ergò quicquid in Regis alieni subditum libido Legatis dicitur, leve est? Ex ipsius Grotii mente leve Legati delictum potest esse in Principem per §. 185. cur non & grave in privatum?

§. 190. Tandem Fabiorum deditio non satis ad rem presentem quadrat. Hic enim de iis agitur Legatis, quos ipsi, qui comprehenderunt, in id mittunt, ut reddantur. At Fabii de Gallorum manibus erant elapsi (f), à quibus aliàs (absque ceremoniis) jure occidi poterant, vel ipso mox fatente Grotio.

§. 191. Tertium enim ejus effatum hoc est: *Si vim armatam intentet Legatus ( habes Legatum militantem, ) sanè occidi poterit, non per modum pœnæ, sed per modum naturalis defensionis. Si Fabios, quos violatores juris humani Livius vocat, Galli occidere potuerunt. In quo quidem per §. 160, l. & 166. nihil est, quod ferri non possit, nisi quòd militans Legatus à conjurante non erat ultionis toto genere divellendus.*

§. 192. Diutiùs detinuit nos tertia inviolabilitatis conditio, quàm augurabamur. In *quarta* & *ultima*, licet ipsa non levibus obnoxia sit scribentium certaminibus, veniam brevitati, quia properamus ad finem, precamur. Eam §. III. sic enunciabamus: *ut, qui misit Princeps, justam talionem ne provocet. Quæ culpa jam ad mittentem pertinet, sicuti, quam hactenus consideravimus, improbitas, ipsius fuit Legati.* Conditio  
quarta & ul-  
tima:

§. 193. *Talionis* nomine venit læsionis in eadem specie retributio. Ergò cum Princeps mittens, interim dum Legatum alibi habet, fœdus cum isto Principe rumpit, Legatum hunc interficere, talio non est; multò minùs, si bello jam ante missam Legationem



inchoato, fortunâ suâ utens, v. g. capiendis urbibus progrediatur. Alia enim species est læsionis fœdus rumpere, vel urbem capere, alia Legatum interficere. Et verò iis, quos dixi, casibus, Legato jus suum stare, neminem vidi, qui neget (g).

§. 194. *Justam* talionem voco, quæ læsioni injustæ speciem eandem, sed justam retribuit. Ergò si quis Princeps Legatum alterius conjuranti neci dederit, justam talionem vocare alter non potest, si Legatum ejus, sed innocentissimè mandatis fungentem, vicissim occidi jubeat. Ac neque hoc, ut opinor, controversiam habet.

ubi questio de talione

§. 195. Illud habet: An Legatum ejus Principis, qui in fontem alterius Legatum violavit, similiter lædere, *justa* sit talio? Nam *talionem* simpliciter esse nemo non videt. *Affirmant* Bortius apud Arum. Vol. I. p. 124. König §. 47. Alb. Gentilis II. 6. Scriptor Q. vet. & novæ p. 33. Paschalius c. 28. *Negant* Gryphander apud Arum. Vol. I. p. 273. Ærodius c. 19. Besoldus c. 5. n. 16. p. 57. Grotius n. 7. Nos hîc *duas distinctiones*, quarum ingens est apud plerosque securitas, ne dicam confusio, adhibemus.

deciditur distinguendo

etiam tempus,

§. 196. *Prior* est temporis, quo Legatum innocentem Princeps alienus violavit. Nam si eo tempore nulla violatoris apud alterum versetur Legatio mutua, nego fas esse, ubi post notorium scelus veniens violatoris Legatus, fide præsertim publicâ prius per præconem sollicitatâ & accepta, admissus fuerit, in ipso talionem exercere. Passus enim injuriam Princeps admittendo talem Legatum censetur alteri præteritam noxam remisisse, vel certè ab ejus ultione hunc Legatum excepisse.

§. 197. Nec patiar, inter regulas talionis hanc etiam celebrari, ut perfido liceat perfidiam reddere. Vim justam injustæ, dolum bonum malo reponere licet: perfidiam perfidiâ propriè quidem dictâ (h), qualis hæc fuerit, pensare non magis licet, quàm perjurium perjurio.

§. 198.

g) Interim de casu *violati fœderis* ad Bort. apud Arum. Vol. I. p. 124. & Besold. 5. 24. p. 64. De casu *progressionum bellicarum* Alb. Gent. II. 6. p. 85. 86. h) Tritum illud: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*, perfidiam improprie dictam permittit.



§. 198. Quòd si Legationibus eodem utrinque tempore jam <sup>rum genera</sup> admissis alter Princeps in alterius Legato jus gentium læserit: tùm <sup>lesionum,</sup> alterâ distinctione, cujus apud Besoldum vestigia conspicias, ipsa læsionum inter se dirimenda erunt genera. Quæ, ut brevitati morem geram, duo hîc tantùm intueor, *retentionem* Legati, & *caedem*. Retentionis talionem justam, cædis injustam habeo.

§. 199. Causam sic expedio: Est quidem aliàs violatæ Legationis vindicta bellum. Sed hoc ita intelligendum venit, nisi culpa emendetur in tempore (*i*), id quod optimè fit restitutione ablati. Quæ haberi si possit, omninò sollicitanda prius est bello imperfecto (*k*), cujus species quemadmodum in aliis Principum non gravissimis delictis est *ἀνδραγαθία* (*l*): sic in *retentione* Legati, quæ certè levior culpa est ejusdem cæde, retentio Legati mutua, res ad *ἀνδραγαθίαν* proximè accedens. Quam adeò, utpote præveniendò bello perfecto, servandæquæ simul Principum *æqualitati* natam, contemplatio *pacis* hoc in casu (*m*) justam pronunciat.

§. 200. In mutuâ Legati *caede* ratio hæc non procedit. Neque enim, ut Legato per talionem retento libertas alteri recuperari potest; ita cæso altero alter unquam revixit. Et Legatorum illa cædes mutua tantum abest, ut *pacem* promoveat, ut potiùs quasi Legationum jure utrinque sublato truculentissimi belli sit anteambulò.

§. 201. Dices: si talio locum hîc non habeat, periclitari Principum *æqualitatem*. Nego periclitari. Cædem enim Legati sui alter justissimo bello vindicabit, quæ ab ipso Deo approbari Davidis exemplum II. Sam. 10. dubitare neminem finit. Ut autem innocenti Legato vîta eripiatur, fas non est. Nam nec in *ἀνδραγαθία* usque ad vitæ obligationem proceditur (*n*). Nec Legatum, qui pacis minister est, deprimere oportet in sortem aliorum subditorum, qui belli vel instrumenta sunt, atque hoc ipso nocent, vel victimæ fortuitæ, quibus ipsis tamen, quoad fieri potest, parcere jubet ratio.

§. 202.

*i*) supra §. 108.      *k*) ita Grotius vocat III. 2, 2.      *l*) Grot. ibid. n. 3.      *m*) Nam aliàs Legatos non licet *pro obsidibus retinere, aut pro aliis ἀνδραγαθία* (lege *ἀνδραγαθία*) jure *ve represaliarum* intercipere, Besold. 5, 9. p. 51.      *n*) Grot. III, 2, 6.



GA  
TK  
5224

§. 202. Quare ut maximè cædendo Legato nulla fieret injuria Principi, cui hæc talio redditur: fieret tamen Legato, ut homini innocenti & publicâ fide munito. Nam nec alieni sceleris participem ille se fecit, ( hoc præsuppono, ) nec per infortunium fluctu belli involvitur, ( est enim extrâ territorium nocentis, ) & jus illi datum est hospitii. Quòd si, ubi durante Legatione legatus ipse deliquerit, gravitas eum culpæ per §. 156. retrudit in statum personæ propriæ, ut puniri possit: cur non vicissim, ubi princeps ejus peccaverit, ipsi, ut servari queat, subvenire debet in suam personam remigratio?

§. 203. Atque huc jam pertinet, quod Besoldus c. 5. n. 16. & 21. (o) & Grotius n. 7. urgent, jus securitatis acquiri Legato non pro Principis modò, sed pro suâ quoque personâ. Quod cum hæc tamen exceptione capiendum, ut jus talionis usurpare saltem retinendo per superius §. 198. tradita liceat.

§. 204. Nunc & illorum argumenta qui talionem hic ad usque cædem extendunt, iustranda forent. Sed nobis horum solutionem, quæ aliàs è dictis forte non erit difficillima, conflictui Academico reservare, atque hîc scriptioni finem imponere liceat.

e) posteriorem hunc ejus locum lege suprâ §. 162.

F I N I S.

TK



B. M. F. izi.  
n. 29, n.

LEO

Inclu  
in

M. JA  
Eloqv

JOH

i

de

1577905

II R  
5224

NVIO.

osophicæ  
nsu at.

cam

7.

MASIO,  
acult. Phi-  
Collegii

REUNEL.

HAHN.  
V. z.

